



PHILOSOPHICA
CHRISTIANI WOLFII
MATHEMATUM AC PHILOSOPHIÆ
IN ACADEMIA MARBURGENSI
PROFESSORIS P.
ALIORUMQUE RECENTIORUM
DU-VIGIERII præsertim, & LEYBNITZII
De origine, & præexistentia animarum
THEOLOGICE
DISCUSSA atque EXCUSSA
SENTENTIA.

Adversus eos omnibus modis defende, & tuere
Deum fecisse Animas, facere, & facturum esse.
S. AUGUST. AD OPTATUM MILEV.





VERONÆ MDCCXXXVIII.
Typis Dominici Pajelæ Bibliopolæ apud
Sanctum Thomam.
SUPERIORUM FACULTATE.



Reverendissimo Patri

D. PETRO PAULO GOTTARDO

TOTIUS CONGREGATIONIS

C. R.

DE SOMASCHA

PRÆPOSITO GENERALI

F. Th. Gundisalvus Carattini O. P.

S. D.



Xiguum sane, & rudi minerva elaboratum opus Tibi Reverendissime Pater sisto, voveo, atque inscribo; ut qua erga cunctos benignitate affulges, illud accipias, foveas, &

* 2 *tuea-*

tuearis. At enim cum adversus Philosophos nec infimi subsellii, nec obscuri nominis sed eruditione magnos, & nomine in Republicá Literaria maximos confectum illud sit, qui semel atque legerint nedum novitatis, sed violatæ etiam Fidei, & Religionis a me fuisse incusatos, nullus dubito, quin ab hac nota, veluti ab impacta calumnia se se eximere voluerint, mihique ceu audaci criminatori, aut saltem male feriato Aristarcho vices rependerint : tanta est hac ætate quorundam philautia ; ut tametsi se turpiter errasse deprehendant, dicta sua revocare, & palinodiam canere nolint, multoque minus miti animo ferre ; ut ab aliis corrigantur ; & si quis est, ut Wolfius (avis sane alba, cuius prudentia, ac modestia summis semper efferentur laudibus) quem non pudeat mutare sententiam, aut ab aliis corrigi; non deerunt alii, qui plus justo novitatis amore capti mihi contra

tra novitatem ſcribenti obſtrepant, invidiamque procreent. Si tua propterea ſub Umbella me, meamque, qualis qualis ea cumque ſit, excipere non dedigneris opellam, nihil eſt quod verear: tantus namque omnium amor, ac tanta eſt erga te reverentia; ut ſperem fore, ut nemo moleſtiam mihi illaturus ſit, quo minus, dum me carpit, Tibi Sequeſtro, & Patrono iniurioſus appareat, aut illiberalis: & ſi quis fuerit, qui mihi reſpondendum duxerit, id acturus ſit ea modeſtia, prudentia atque humanitate; ut in Tui obſequium magis, quam in mei confutationem is ſcripturus ſit. Nec hic palpo aut aſſentor: merita Tua, quæ nec pauca ſunt nec parva, Tuique animi ſuavitates tantum Tibi amoris, atque auctoritatis intus, foriſque apud omnes cuiuſcumque ordinis, & dignitatis compararunt; ut nemo ſit, qui toto mentis affectu Te non complectatur. Et ut extraneos ſileam, domeſticos duntaxat

xat

xat tuos ad mea confirmanda verba, seu Congregationis Tuæ Religiosos Viros appello, qui tanto amore, tantaque veneratione Te prosequuntur; ut nunquam quievisse videantur; donec Te in Patrem, & Caput habuerint. Cum enim hoc anno de eo eligendo, apud quem totius Congregationis regimen foret, solliciti Vicentiam Generalia Comitia celebraturi convenissent, Te inter multos, eosque omnes dignissimos Candidatos cunctis suffragiis in supremum Moderatorem, & Generalem Præpositum selegerunt. Dignitas sane eo amplior quo altior, & quo amplior atque altior eo Te dignor: illius namque Congregationis summa es, quæ licet extra Italiæ fines se non extendat, tanta tamen est, ut cum aliis Clericorum Regularium Congregationibus quantumvis fusioribus tum Nobilium, qui eam ingrediuntur numero, tum Prælatorum, quos Ecclesiæ in diem parit, tum Doctorum, quos

Aca-

Academiis tradit , tum Præceptorum , qui pietate in Deum , & humanis , divinisque disciplinis juventutem instituunt multitudine , jure contendere possit. Absit invidia verbo . Hæc enim ex quo ab Hieronymo e Patritia Æmilianorum Veneta Familia (cuius Apotheosis in proximo est) instituta , atque a Pio V. Ordinis mei Pontifice vere optimo , vere maximo solemni constitutione firmata est , tantum profecit tum pietate , tum sapientia ; ut Civitates , & Principes honori , atque utilitati duxerint , ampla & magnifica Collegia illi extruere , in quibus , quæ necessaria sunt tum ad civilem & nobilem , tum ad piam , & sanctam vivendi rationem a Te , a Clericis tuis traderentur. Inter ea Romanum eminet Clementinum dictum , in quo non solum nostræ Italiæ , verum totius fere Europæ nobiliores Familiæ , Principes usque & Dynastæ filios suos in Clericorum Tuorum

rum

rum, qui magna cum laude omniumque plausu in conspectu Summi Pontificis munere hoc sane quam difficili summa cura ac vigilantia sine aliorum invidentia funguntur, disciplinam dant, & committunt. Huic adeo nobili Congregationi Tu praees ut Pater, Rector, & Præsul amore obsequio, & veneratione undequaque dignissimus: in ea dignitate Te Deus sospitet ad ampliora, quæ Te manent, ut meis in votis est, promoturus. Interea Tu mihi, meæque opellæ Patronus sis Sequester & Mecœnas. Vale

Veronæ ex Sanctanastasiano Cænobio O. P.

ꝰ Kal. Septembris anno Æræ Dionysianæ a partu VIRGINIS MDCCXXXVIII.



PRÆFATIO.



Eminem mihi succensurum puto, quod Philosophorum placita Theologicè expendere, atque ad fidei examen revocare ausim, nisi fuerit ex iis, qui hanc potestatem, humanas dijudicandi disciplinas, Theologiæ eripere moliuntur, garrientes haud licitum esse Theologo infra Sanctuarii gradus descendere, falcemque alienam imponere messem, cum præter ea, quæ fidei sunt, alia versat, & pertractat. Fuerunt siquidem omni ætate (utinam nunquam fuissent) id genus Philosophi, qui a Theologiæ legibus se emancipatos dictitarint, ut ineunte III. Ecclesiæ seculo *Asclepiodotus*, *Theodotus*, & *Natalius* Hæretici, qui in rebus Philosophicis ita rationi, & naturæ inhærendum esse dixerunt; ut fidei nullum locum ibi prorsus liquerint: *ὃ τί αἱ θεῖαι λέγουσι γραφαὶ, ζητοῦντες, ἀλλ᾽ ὁποῖον σχῆμα συλλογισμοῦ εἰς τὴν τῆς ἀθεότητος εὑρέθῃ σύστασιν, φιλοπόνως ἀσκοῦντες.*

Inquit Eusebius lib. V. Hist. Eccle. cap. 27. idest *non quid sacræ litteræ, sed quænam syllogismi forma ad impietatem confirmandam requireretur, studiose indagantes*; & seculo V. quidam *Johannes* Grammaticus *Philoponus* dictus, qui, teste Photio in sua Bibliotheca cod. 21. Πολλά τε ἀπεριςκέπτως λέγει, ἐπιχλευάζων καὶ τοὺς μακαρίους καὶ ἁγίους πατέρας ἡμῶν· h. e. *multa inconsiderate jactare, & auctoritates etiam Sanctorum Patrum insectari ausus fuit*; ajebatque se alium esse Christianum, alium vero Philosophum: uti & in Gallia nonnulli seculo XIII. *ita pro Philosophicis erratis suis responsa palliantes, ut dicerent, nota esse quædam, & vera secundum Philosophiam, sed non secundum fidem Catholicam* (quasi essent duæ veritates contrariæ) ut inquit *Stephanus* tunc Parisiensis Episcopus in Epistola Universitatis in qua eos confutat. Omnium audacissimus fuit seculo XV. *Pomponatius* in Bononiensi Academia Publicus Professor, qui in his, quæ *de animæ mortalitate* philosophice scripturivit, oportere, dixit (ex testimonio Thom. Episc. lib. de gym. Patavini) qui veritatem invenire vult, in Philosophia hæreticum esse: iis similes, quorum temerarios ausus Patres, & Concilia damnarunt, haud æquo animo me habituros scio: at probi omnes, & vere Christiani Philosophi, qui fidei, & Theologiæ subiici gloriæ atque honori du-

cunt,

cunt, me impense oppidoque laudabunt, quod aberrantem Philosophiam ad Fidei, Theologiæque criterium exegerim.

Et sanè, ut hic pro hujus Theologici juris defensione aliquid obiter dicamus, quid sodes est Philosophia, quid humanæ disciplinæ omnes cum sacra, & divina doctrina comparatæ; ut eas ab omni Fidei, Theologiæque jugo liberas, & solutas existimemus; silendumque sit propterea Theologo, ubi Philosophum loqui semel contigerit? Doctor Gentium Paulus sapientiam hujus seculi ita parum habuit, ut eam appellare stultitiam veritus non sit: Hinc Corinthios suos, ut ab ea pro virili caverent, serio admonuit; *Nemo vos seducat* (ita cap. 3. I., quam ad eosdem dedit, epistolæ) *si quis sapiens videtur in hoc sæculo* (sapientia scilicet seculari, ut exponit D. Thomas, quæ in eo, quod contrariatur fidei sapientia non est; licet videatur esse) *fiat stultus* (abiiciendo sapientiam apparentem) *ut sit sapiens: sapientia enim hujus Mundi stultitia est apud Deum*. Prudentissimum consilium. Noverat Paulus quot, quantosque errores ad illam usque ætatem Mundo invexerat ea sapientia, quæ inter ignorantiæ caligines unam humanam rationem ducem habet, quot, quantosque deceperat Philosophos acri licet ingenio præditos, quibus si vel exigua Fidei no-

Καὶ γαρ̀ δίκαιον τὴν σοφίαν τȣ̃ Πνεύματος
Ἄνωθεν ȣ̃σαν, ἐκ Θεȣ̃ ἀφιγμένην
Δέσποιναν εἶναι τῆς κάτω παιδεύσεως,
Ὥσπερ θεραπαίνης μὴ μάτην φυσωμένης.
Ὑπηρετεῖν δὲ κοσμίως εἰθισμένης·

h. e. interprete Billio.

Justum est enim
Ut Sophiæ Sancti Spiritus, quæ cælite
Profluxit aula, venit & Summo a Deo;
Ut domina præstet inferæ Sapientiæ,
Famulæque ritu discat hæc non turgidum
Concipere fastum, jussa sed prompte axequi.
Servire superæ nam decet certe inferam.

Ita semper sacra egit Theologia, nullaque ætas fuit, qua errantes Philosophos ad veritatis semitam, vel per privatos Theologos, vel per Academias, vel per summos Ecclesiæ Pastores, pravas, falsasque eorum opiniones proscribendo, & damnando reducere non tentarit. Infinitus plane essem, si omnes, & singulas Philosophorum opiniones minus sanas, seu potius Philosophorum deliramenta ab Ecclesia proscripta recensere vellem: quæ quidem tametsi, ut ajunt ij, qui de Schola sunt, ad fidem *directe* non pertineant, *indirecte* saltem spectant, quæque propterea, nisi tempestive a Scholis Catholicis profligentur, non parum damni, & dispendii paritura sunt, hac præsertim

ætate,

ætate, qua Philoſophi nonnulli ex iis, quæ ſemel ſtatuerint, principiis, ſive veris, ſive falſis rerum cauſsas, & naturas ſcrutantur, & metiuntur, rati id ſolum verum eſſe, quod mente ſuis capta præjudiciis percipiunt, ſeu potius percipere arbitrantur. Præpoſtera ſane, atque inverſa hujus temporis philoſophandi ratio. Conſtantiſſimum apud omnes ſemper fuit, veritatem primo in Dei mente tanquam in fonte conſiſtere, in rebus deinde, prout hæ archetypis divinæ mentis ideis conformes ſunt, denique in humano intellectu res, prout in ſeipſis ſunt, apprehendente. Ita olim cum Angelico Præceptore Theologi, & Philoſophi omnes: contra qui nunc philoſophantur, veritatem primo ſua in mente collocant, in rebus deinde, in quantum iſtæ intellectui apprehendenti conſonant, poſtremo, & tandem in Deo, ſibi ſuadentes res ita in ſe revera eſſe, quia ipſi ita eas cognoſcunt, vel cognoſcere ſomniantur: quo ſemel poſito principio proclive eſt cuique errorem quemlibet vel craſſiſſimum, *Materialiſmum*, *Spinoſiſmum*, *Idealiſmum*, ipſumque etiam *Atheiſmum* tueri, ac defendere.

Eccleſia itaque in his, quæ ad fidem utcumque ſpectant, falli, & fallere neſcia ſanctiſſime Theologis ſuis mandat, præcipitque ex officio, ut Philoſophos, & cujusvis humanæ diſci-

sciplinæ sectatores, aut Doctores ad fidei tribunal vocent, eorumque studia mature examinent, & quam diligenter discutiant: ut si quid forte fortuna in iis corrigendum emendandumque offenderint, corrigant extemplo, atque emendent, neque voces illas, quæ cæcutientis ethnici, non vero illuminati Christianique Philosophi sunt: *Philosophi sumus de Fide & Theologia non curamus*, ullo modo pati potest: enimvero impossiibile est; ut verum vero opponatur, atque quod Fides, & Theologia uti falsum reicit, id tanquam verum sana admittat Philosophia.

Sic ergo (concludamus cum Angelico Doctore II. contra Gentes cap. 3.) *patet falsam esse quorundam sententiam*, *qui dicebant* (quemadmodum nunc non desunt qui hoc ipsum dicant) *nihil interesse ad fidei veritatem*: *dummodo circa Deum recte sentiatur*, *ut Augustinus narrat de origine animæ*: *nam error circa Creaturas redundat in falsam de Deo scientiam*, *& Hominum mentes a Deo abducit*, *in quem fides dirigere nititur*, *dum ipsas creaturas aliis quibusdam caussis*, *consequenter Deo supponit*. *Et ideo illis*, *qui circa Creaturas errant*, *pænas sicut Infidelibus Scriptura comminatur dicens in Psalm.* 27. *Quoniam non intellexerunt opera Domini*, *& opera manuum ejus*, *destruet illos*.

Hæc

Hæc pauca præfari volui, quominus mihi disquirendo in Philoſophos plus arrogaſſe videar, quam debuerim, peſſimeque audiam apud eos, qui Fidei & Theologiæ Tribunal parvi pendent, & ſolum ab humana ratione corrigi patiuntur. Cur vero Provinciam hanc non adeo facilem ſuſceperim ego, idque ipſe auſim, quod nemo fortaſſis erat facturus; ſi a me percuncteris Lector amice, ſcias, novam *Wolfianæ* Philoſophiæ Editionem, quæ poſt Lypſienſem fit Veronæ Typis Dionifii Ramanzini, mihi ſcribendi occaſionem præbuiſſe: atenim cum prior *Theologiæ Naturalis* Tomus, anteaquam prælo ſubderetur, mihi commiſſus eſſet examinandus, ut ſi quid forte Fidei adverſum, & ſanæ Doctrinæ contrarium in eo invenirem, his indigitarem, qui hoc mihi ex officio demandaverant. Nonnulla inter legendum offendi, quæ ſpongia digna, & Catholicis Scholis minime invehenda mihi viſa ſunt, hanc præſertim de uno omnium hominum ortu, atque origine opinationem.

Ubi hæc accepere nonnulli Wolfio plus juſto addicti, haud æquo tulere animo, meque minus aptum, aut ſaltem moroſum cenſorem exiſtimarunt, qui ea noluerim approbare, quæ neceſſario conſequuntur ex iis quæ aliis in Tomis Cenſores Catholici me longe doctiores, &

Ve-

Venetiis, & Veronæ paulo ante Wolfio approbarunt. Omnia egerunt; quo latum a me judicium immutarem, atque tam acrem (ut illis videbatur) censuram utcumque temperarem. At frustra & incassum: in dictis perstiti, nec filum a sententia mea motus sum, & tantum quibus de caussis ita censuerim, quam primum me ostensurum, & cum illis amice conlaturum, si vellent, significavi: quod etiam præstiti super hac potissimum, de qua in præsentia agimus, opinione. Argumentis, quæ in contrarium attuli, acquievisse visi sunt, nec quod mihi reponerent habuerunt aliud, quam Doctores apprime Catholicos, quos inter Dn. *Raffiels Du-Vigier* natione Gallum in opusculo *de l'esprit de l'Homme* hoc idem cum Wolfio sentire. Sed adeo parum profuit Wolfio *Du-Vigierius* Gallus licet & Catholicus, ut eum una cum Wolfio impugnandum susceperim.

Accessit cujusdam auras ubique captantis, & quærentis jactantia, qui ubi sparsum in Urbe rumorem persensit ob latum a me judicium, obgannire statim, & Clientum suorum auribus insussurare, sibi in hanc rem disquirendi onus impositum fuisse: quasi Censoris judicium insufficiens fuerit, & solus-ipse quærendus, qui negotium istud nasute discuteret.

En quãmobrem hanc, qualis ea cumque ſit, elucubravi diſſertationem, non ſponte, ut vides, mea, ſed neceſſitate pene compulſus, in qua ſi quid ad rem dixerim, impoſitúmque onus pingui licet minerva expleverim, haud dubito, te mihi gaviſurum fore, ſin minus, ſaltem Catholicæ Fidei amorem in me Lector amice commendabis.



CA-



CAPUT I.

Exponitur Wolfii systema.



T si variæ, multæque semper fuerunt cum Philosophorum, tum Patrum de Animarum origine opiniones; una omni ætate a primis sæculis ad hæc nostra usque tempora de corporum ortu invaluit apud omnes sententia, affirmantibus cunctis humana corpora in utero Matris ex permixto viri, & mulieris semine quotidie efformari. Ex quo tamen Medici, & Philosophi nonnulli, inter quos *P. Honoratus Fabry*, & *P. Malabranche* suadere conati sunt, Deum rerum omnium Opificem creasse initio temporis omnes, & singulas substantias corporeas, cuncta videlicet Hominum corpora in primo homine, in primis plantis omnes plantas, atque in primis animantibus cuncta animantia; de corporum quoque origine lis, & contentio nata est.

At hic non stetit novitatis amor, & nova excogitandi prurigo: illi, quibus Fabry, & Malabranche conatus arriserat, ulterius progrediendum e-

xistimarunt, præsertim Dn. *Raffiels Du-Vigier*, *Leybnitzius*, & *Wolfius*, aliique, quos in medium adducere parum, aut nihil refert, uti neque, qui glaciem hanc fregerit.

Du-Vigerius cap. 14. sui tractatus *de l'esprit de l'Homme* modum, quo humanum genus primi Parentis labem contraxerat, explicaturus, atque expositurus pro fundamento ponit, omnes, & singulos Homines & quantum ad corpus, & quantum ad animam creatos fuisse in Adamo.

Leybnitzius in suo *Essais de Theodicèe sur la Boutè de Dieu, la Libertè de l'Homme, & l'Origine du Mal* part. 1. n. 91. hoc idem docet, Deum scilicet nedum omnia corpora humana sub temporis initium, sed etiam animas creasse, easque illis in Adamo existentibus infudisse.

Christianus Wolfius hos Auctores sectatus est in sua *Psychologia rationali* sect. 4. cap. 2. *de animarum ortu, unione cum corpore, & immortalitate* §. 704. adnotationem cuius paragraphi ita claudit: *doctrinam igitur D. Thomæ* (de Animæ immortalitate) *cum Physica Virorum celeberrimorum* (Fabry, & Malabranche) *hic connectimus, cum hoc modo evitentur errores de præexistentia Animarum ante Corpus, de peccato earum extra corpus commisso, & de earundem in corpora detrusione, ut peccati dent pœnas, consequenter nihil defenditur, quod a Patribus, ac Theologis sit improbatum. Quod verò S S. Patres tantummodo damnaverint hypothesim de præexistentia Animarum ante corpus, & sine corpore, ex verbis Gelasii Papæ clarissime liquet, qui in libro adversus Euticbetem, & Nestorium de duabus naturis: nec initialiter, inquit, Ani-*

Anima alibi potuit existere, quam in corpore, nec corpus valet constare sine Anima. Hic tamen rem operosius se acturum in Theologia naturali promittit: & revera 1. p. cap. 5 *de Creatione, & Providentia Divina* §. 780. cuius titulus est: *Animæ humanæ a Deo creatæ in prima rerum creatione*, hæc habet: *præexistunt autem in corpusculis organicis præexistentibus, ex quibus fœtus in utero formatur.* (§. 704. Psychol. rat.) *& cum iis in uterum matris deferuntur*, (§. 705. Psychol. rat.) *consequenter non demum creantur quando fœtus in utero formatur. Quamobrem nulla subest ratio, cur non admittamus eas perinde ac elementa rerum materialium in prima statim creatione a Deo fuisse creatas.* Cui paragrapho hanc notam apponit. *Nobis hic perinde est, sive qui statuat, Animas humanas in prima statim rerum creatione cum eo, quod substantiale est, in omnibus corporibus fuisse creatas, ita ut hodie nihil creetur amplius; sive defendat, eas tum demum creari, quando in utero vivere incipit fœtus; modo agnoscatur eas a Deo creari: & si veritati consentaneum sit prius, non tamen intelligendum; nisi iis, qui principia moderna de generatione plantarum, animalium, Hominumque physica, & de præexistentia Animarum Psychologica habuerint perspecta.* Ita in Editione Lypsiensi anno 1736., aliter tamen in Veronensi: quandoquidem enim certior factus Wolfius hanc suam hypothesim haud placuisse Veronensibus Censoribus statim *Marburgo Cattorum* (ubi etiam num magna cum laude apud suos vivit) rescripsit *delenda prorsus esse* in nova Ramanziniana Veronensi Editione *ea utique verba* §. 780.
IN

IN PRIMA CREATIONE *ne videatur defendere, quæ damnantur* : PRÆEXISTUNT AUTEM *usque ad fin m, in nota quoque pro* VERITATI CONSENTANEUM *poni posse* : THEORIÆ PHYSICÆ RECENTIORI CONSENTANEUM. Ex quo clarissimum est opinionem hanc non ex animo Wolfium adoptasse, cum eam hic lubens mutaverit: mutasset & alias, si admonitus fuisset Vir plane doctissimus æque ac modestissimus, cui una cum Nestoreis annis veram in Deum fidem adprecor.

Itaque juxta id genus Philosophos creavit Deus in Adamo omnes, & singulos Homines; ita ut Animæ, quas post damnationem Origenianæ Doctrinæ in V. Generali Synodo anno DLIII. quotidie a Deo produci semper creditum est, nunc cum corporibus suis ab initio mundi creatæ inveniuntur. Sic Ego in lumbis tot Hominum fui, quot habui majores ab Adamo usque, Me miserum quot in carceribus fui!

Si quis vero petat quid Animæ Humanæ quandiu tot corporibus inclusæ manent, agant, vel agere possint, Wolfius respondet cap.2. sect.4. Psychologiæ rat. *de Animæ ortu* §. -06. &c.: *dum Anima, in corpusculo organico præexistente, quod fœtus rudimenta continet, si ita videtur, in animalculo spermatico præexistit, in statu perceptionum confusarum est; idest etsi ideas jam ab initio habet, eas nonnisi obscuras habet, & si quid claritatis immixtum perceptionibus obscuris est, adeo exiguum illud est, ut in numerum clararum idearum minime referri mereatur, ubi nec sibi conscia est, caretque operationibus intellectus, & rationis, præteritorumque me-*

memoria: hæc enim omnia non nisi per ideas claras peragi possunt. Quod vero ideas confusas habeant, ex eo colligit Wolfius, *quia nemo unquam mortalium tale quid observavit; sed in confesso potius est pænes omnes, nos status præexistentiæ neutiquam recordari. Cumque porro Animæ præexistant suis in corporibus, ideasque innatas habeant, nullaque sit in eis memoria: obscuras & confusas habeant oportet*.

En celebre inventum quod nullo negotio reici, atque exsufflari potest: quemadmodum enim sola affirmatione adstruitur; ita sola inficiatione demolitur. Verum ne pari temeritate, qua Philosophus asserit, Theologus inficiavideatur; omnibus Theologiæ locis seu argumentis illud excutere operæ prætium est, Traditione, Ecclesiæ Catholicæ consensu, Conciliorum definitionibus, Romanorum Pontificum decretis, Sanctorum Patrum dictis, Theologorum omnium calculo, Juris Pontificii sententia, Philosophorum autoritate, naturalis Rationis pondere, Humanæque Historiæ suffragio: nec non absurda, quæ sponte sua inde nascuntur, detegere; denique ostendere adeo fictitium illud esse, ut nullo prorsus modo dignum sit, quod vel tanquam pura putaque Hypothesis in Scholis Chatholicis admittatur.



CA-



CAPUT II.

Recentiorum Philosophorum de Hominum ortu opinio ſcripturis *opponi demonſtratur.*

THeologus, quum rem aliquam ſuſcipit diſcutiendam, e veſtigio ad Scripturam, quod hæc in rebus Theologicis primum obtineat locum, digitum intendit, ita & nos in hac, quam verſamus, quæſtione, quid Scriptura dicat, primum inquirimus, ipſamque hominis efformationem, quam nobis initio Scripturarum exhibet *Moſes*, diligenti examine expendimus; ſi forte in ea huius novitii ſyſtematis vola, aut veſtigium aliquod appareat, vel eius contrarium inveniatur.

Poſt quam Deus Cælum & Terram, omnemque ornatum eorum creaverat, ſeu ex nihilo fecerat; ita *Moſes* hominis efformationem nobis adumbrat: *ait Deus; faciamus Hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram... Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam; ad imaginem Dei creavit illum, Maſculum, & Fæminam creavit eos, benedixitque Deus illis; & ait: creſcite, & multipli·*

plicamini, & replete terram. Modus quo homo factus est capite sequenti habetur: *Formavit igitur Dominus Deus Hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est Homo in Animam viventem*, ex lutea nempe massa in eam quam gerimus formam, humanum corpus finxit Deus, cui statim, ut viveret, insufflavit Spiritum, seù animam, non suæ substantiæ portionem, ut post nonnullos veteres Philosophos Manichæi putabant, sed alterius naturæ ex nihilo factam. Efformatio Feminæ aliter contigit: Videns nimirum Deus, quod Adamus esset solus, singula vero animantia bina & bina, *non est bonum*, dixit, *Hominem esse solum, faciamus adjutorium simile sibi; immisitque Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea, edificavit Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem*, in mulieris scilicet corpus, cui utique spiritum, seù animam ex nihilo factam mox inspirasse certissimum est.

In hac simplici, & nullis rhetorum fucis ornata humanæ geneseos historia, nec vola apparet, nec vestigium plurium Hominum, multò minus omnium, & singulorum, quos tunc effecerit Deus; sed unius tantum maris, & alterius Feminæ. Enimvero verba hæc *creavit Deus Hominem, formavit Deus Hominem, inspiravit in faciem eius, factus est Homo* in obvium sensum accepta non multitudinis, sed duorum tantum efformationem præseferunt: alioqui Moses non singulari numero sed plurali scripsisset, *creavit Deus homines, formavit Deus Homines, inspiravit in facies eorum, facti sunt homines in animas viventes.*

Nec reponant adversæ opinionis Patroni, parum aut nihil referre, quod unum tantum Moses posuerit, id imo eleganter factum: Homo namque his in locis non singularem personam, sed ipsum humanum genus sonat, ut sensus sit: formavit Dominus Deus genus humanum, factum est Hominum genus in animam viventem; quod non obscure innuere videtur primigenius Textus verbis illis ויפח באפיו נשמת חיים *insufflavit in faciem ejus flatum vitarum:* τὸ חיים *vitarum* Deum singulis corporibus in Adamo jam efformatis suas tunc inspirasse animas, significat.

Non unquam id reponant quoniam hæc interpretatio violenta est, sacroque Textui parum amica. Enim vero si ita est, cur etiam non dixit: *Masculum, & Feminam creavit eum, benedixitque illi?* nunquid unus tantum masculus, unaque tantum fæmella plures sunt, quam totum genus humanum, aut plura hi duo significant, quam pene infinita multitudo. Minus quoque apposite dictum est, quod in confirmationem adducitur ex voce חיים: nemo enim, qui extremis tantum labiis Linguam Sanctam degustaverit, nescius est τὸ חיים, et si plurium vox est, singularem vitam sonare, quod pluribus exemplis ex eodem primigenio Textu comprobari posset; unde optime Vulgatus Interpres vertit: *spiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, & LXX. καὶ ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς; quinimo si id, quod contendunt Adversarii, vel tantillum adumbrare voluisset Moses, חיה potius in singulari posuisset; quod non solum *vitam*, sed etiam teste Bux-

tor-

torfio in ſuo Lexico *turbam*, & *catervam* ſignificat. Cur vero vitam in plurali potius חיים quam חיה in ſingulari efferant Hæbrei, idemmet Buxtorfius docet, quia videlicet vita completitur plura, dies ſcilicet, & tempora.

At pergamus, quæ ſequuntur, exponere; ut quam longe a Scripturis Sacris locuti ſint recentiores Philoſophi, dum ſingulos Homines mundo Synchronos volunt, melius percipiamus. Poſtquam Deus Maſculum, & Fæminam creavit, inquit Sacer Textus: *Benedixitque illis, & ait, creſcite, & multiplicamini, & replete terram*. Hæc loquendi formula ſatis aperte innuit tunc omnes homines Deum non creaſſe! Quid per fidem deinceps multiplicandum, ſi jam expletus erat numerus!? multiplicare ſonat aliud nihil, quam numerum augere, atque ex minore majorem efficere: quemadmodum videlicet quinque panes, quibus Chriſtus Servator quinque hominum millia in eremo pavit, mutiplicati dicuntur; eo quod ex quinque facti ſunt mille, aut etiam plures. Ridiculum ſane præceptum, ut multiplicentur, qui numero augeri neutiquam poſſunt. Ita in V. Synodo adverſus Origenem, qui omnes Animas una ſimul creatas ponebat, argumentabatur. *πῶς ἄρα εἰ προϋπῆρχον αἱ ψυχαὶ τῶν σωμάτων; ἔμελλε κατὰ τὴν θείαν πρόσταξιν αὐξάνεσθαι, καὶ πληθύνεσθαι τὰ προϋπάρχοντα κατὰ τοὺς ἐκείνου μύθους*; Dicendum fuiſſet: effunde o Adam, atque exere, quos in lumbis habes, eorumque effuſione terram reple,

atque

atque cooperi. Atquis est, qui Deum inscitiæ in loquendo, atque imperitiæ arguat?

Nec tantum præpostera foret in hac novitia opinione Scripturæ locutio, imo & inversa Dei operatio in Heva efformanda. Enim vero post cunctos homines, quorum futura erat mater, Heva creata fuisset, postquam scilicet Adamus cunctis animantibus nomina imposuerat: in eorum namque recensione se sine socio, & comite invenit: *formatis igitur* (en textus) *Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus Cæli, adduxerat ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea: omne enim, quod vocavit Adam, animæ viventis, ipsum est nomen ejus, appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia Cæli, & omnes bestias terræ. Adæ vero non inveniebatur adiutor similis ejus. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem*, atque ita Puella unius tantum diei, vel horæ, quæ nascetur, cum Heva sui omniumque viventium matre jure poterit de antiquitate contendere.

Hæc omnia fiunt clariora ex fine, quem Deus habuit in Adami, & Hevæ creatione. *Quamobrem relinquet Homo Patrem, & Matrem suam, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una*, ita in nostra Vulgata legimus, & in Septuaginta καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν a quibus neutiquam differt primigenius Textus, et si in

co

to vox *duo* desit והיו לבשר אחד *& erunt in carne una*, Vir scilicet ejusque Uxor, qui sane duo solummodo sunt. Horum verborum obvius apertusque sensus est, ideo Hominem Uxori suæ adhærere, ut ex commixto amborum semine una prolis caro efficiatur: Ita Patres, & Theologi, quorum interpretatio inepta prorsus & futilis, imo & falsa; si antequam Vir Uxori suæ adhæreat, jam proles efformata est, & usque ab initio mundi in Adamo creata.

Non me fugit alias esse horum verborum *& erunt duo in carne una* interpretationes: exponuntur enim, & pro mutua potestate, qua unus conjugum in corpus alterius habet, pro negotiorum domesticorum communione, pro reciproco utriusque inter se se amore, & denique pro ipsius matrimonii insolubili, perpetuoque fœdere: At hæ omnes interpretationes tantum abest, ut priorem infirment, ut imo in illa fundentur, exurgantque ex illa. Ideo namque Vir, eiusque Uxor duo esse debent in uno amore, in uno domesticorum negotiorum commercio, in una eademque suorum corporum potestate, in uno denique eodemque matrimonii fœdere; quoniam hi duo unum sunt in una prolis gignendæ carne, atque ex substantia utriusque substantia geniti & nascentis formatur, & efficitur. Et sane si secus contingeret non video, quid Matrem inter & Nutricem intersit, nisi quod Mater infantem intus gerat, intus alat, nutrix vero foris, cætera similes, paresque omnino.

Alterum argumentum a *Saræ*, *Rebeccæ*, *Rachelis*

lis Annæ et Elisabeth Uxorum Abrahami, Isaaci, Jacobi, Elcanæ, & Zachariæ sterilitate desumo, quod licet a delicatulis Fæminis veniat, sat tamen virium habet ad profligandum novitium systema. Has SS. Mulieres diu steriles fuisse Scriptura narrat. De *Sara* legimus Geneseos 16, quod Abrahamo viro suo dixerit: *ecce conclusit me Deus; nè parerem: ingredere ad Ancillam meam, si forte saltem ex illa Filios suscipiam. De Rebecca* Geneseos 25. dicitur Isaacus vir ejus orasse Dominum pro Uxore sua, *eo quod esset sterilis. De Rachele* habemus cap. 30. *cernens autem Rachel, quod infæcunda esset, invidit Sorori suæ.* Et de *Anna* Elcanæ Uxore 1. Regum cap. 1. quod Deus conclusisset vulvam ejus, eique sterelitatem exprobrasset ejus æmula Phenenna; unde illa amare flebat, Deumque enixe deprecabatur; ut & sibi filios concederet. Sterilitatem denique *Elisabeth* exhibet S. Lucas cap. 1. sui Evangelii attestans, quod non erat illis (Zachariæ, & Elisabeth) Filius; *eo quod esse Elisabeth sterilis:* sed etsi harum mulierum sterilitatem siluisset scriptura, id facto satis comprobaretur; eodem quippe tempore, quo Sara nec concipere, nec parere poterat, Abrahamus ejus vir ex Agare Ismaelem suscepit. Jacob quoque, infæcunda Rachele, filios procreabat ex Lia, Bala, et Zelpha; Elcana itidem quos ex Anna non habebat filios, suscipiebat ex Phenenna. Hoc idem contigisset Isaaco, & Zachariæ; si aliis commixti fuissent mulieribus.

At hæc omnia putida mendacia sunt, nobis illudit Scriptura in Neotericorum de una omnium Ho-

Hominum creatione Sententia, & illiberalis calumnia est sterilitatis, infæcunditatisque opprobrium obtendere his sanctissimis Fæminis, quæ ideo nec concipere, nec parere potuerunt, quod nullam a viris suis prolem suo in sinu exceperunt: alioqui dicendum Abrahamum per quinquaginta, et amplius annos, quibus cum Sara Uxore sua filiorum procreationi incubuit, infinitorum Hominum jacturam fecisse.

Dicet fortassis non nemo sterilitatis morbo revera laborasse SS. Patriarcharum Uxores, nullamque prorsus, quandiu ea detinebantur infirmitate, edidisse prolem; propterea quia summus omnium rerum Provisor Deus respiciens ad harum mulierum morbum, ita egit, ut fæcundo semine mariti eas non aspergerent, sed per aliarum uxorum uterum illud spargerent; ut ab his susciperent liberos, quos a sterilibus habere non poterant.

Exacta sane, & tempestiva responsio, nisi eadem, qua profertur, rejci posset facilitate: undenam sodes hoc didicere viri egregii, ubi expiscati sunt? non in Scripturis; nullibi enim scripturarum vel tantillum apparet, ita Deum humanum genus moderari, ut illuc homines fundi non patiatur, ubi jacturæ periculum est, dispendiumque certissimum. Fuerunt igitur laudatæ mulieres steriles; propterea quia cum semen reciperent, illud non *confovebant* (Hieronymi phrasi utor) *confotum non corporabant, corporatum in membra non distinguebant; ut inde inter illas secretas ventris angustias Dei manus operaretur, idemque Animæ, & corporis Creator.*

Et

Et sane ita Hominum genesim fieri apertis verbis affirmat Scriptura. Jobus cap. 15. initium sui non in Protoparentis lumbis, sed in matris utero dudum habuisse testatur; *nunquid*, inquit, *in utero fecit me Deus, qui & illum operatus est, & formavit in vulva unus?* Non puto hic Jobum vulvæ, & uteri nomine Adami lumbos indicare voluisse. Et supra cap. 3. tempori, quo vivere cæpit imprecatus, *pereat*, inquit, *dies in quo natus sum, & nox in qua dictum est: conceptus est Homo*. Quamobrem tam sero tempori maledicis, o bone Jobe, si ab ipso mundi exordio efformatus es?

Isaias quoque hoc idem asserit cap. 44. verbis illis: *Hæc dicit Dominus Deus formans me ex utero servum sibi*. Ipsemet Deus Jeremiam alloquens manifeste indicat locum, & tempus ubi, & quando Prophetam hunc efformaverit: *Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te*. cap. 1. Quomodo ab initio mundi facti sunt, qui in matris utero formari dicuntur? Quemadmodum igitur Jobus, Isaias, Jeremias in utero matris esse, & vivere cæperunt, ita & reliqui Homines, quidquid in contrarium adstruere nitantur recentiores Philosophi.

Quid his omnibus reponi possit, non video nisi quod scriptura quandoque juxta vulgi præjudicia, loquatur. Ita Vallisnerius, qui iccirco P. Albertum Tylkovvski deridet, quasi Deum fecerit Pastorem casei formellas fabricantem: eo quia, ea Jobi verba cap. 10. *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti* eum in sensum usurpat, ut velit in humanæ generationis opere semen

ad

ad instar lactis coagulari; miraturque, quid ni etiam eum obstestricem faciat; cum pariter dixerit Jobus: *quare de vulva eduxisti me?*

At hæc responsio purum putumque effugium est ad declinandam vim argumenti excogitatum: Atenim si vera esset, eo nos duceret; ut nullam prorsus fidem Scripturæ haberemus, & facile cuique foret omnia ejus testimonia quantumvis apertissima illudere, illudque Christi Servatoris argumentum Ioh 3. ad revincendam Judeorum incredulitatem: *Si terrena dixi vobis & non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia credetis?* nullius esset roboris; in eum imo veluti in fallacem argutatorem hoc ipsum ejus argumentum regereremus: quomodo Tibi cælestia, quæ captum superant nostrum, loquenti fidem præstabimus; si terrena ad nostrum intellectum accomodata, quæ ad conciliandam Tibi fidem enarras, falsa sunt, & commentitia, tantumque ab ignavo vulgo veri falsique nescio credita atque approbata?

De Vallisnerio autem liceat mihi dicere quod sentio. Eodem Vallisnerius, Vir cætera doctissimus, majori imo sale fricandus esset, quem, ut systema suum de *Ovis fæminarum Viviparārum* aliquo Scripturæ Testimonio utcumque confirmet, Deum ut Gallinam ovis incubantem, pullosque excludentem exhibere non puduit: propterea quia ubi Vulgatus Gen. 1 legit. *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas* Hebræus habet: ורוח אלהים מרחפת על פני המים *Spiritus Dei incubabat super aquas*.

Vallisnerio itaque, & cuique Philosopho respondemus cum Ecclesiaste cap. 11. *Quomodo ignoras, quæ sit via spiritus & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis: sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.*



CA-



CAPUT III.

Traditione, *quæ est alterum Theologiæ argumentum recens Philosophorum sententia refellitur.*

IN ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim vere proprieque Catholicum, quæ ipsa vox nominis, ratioque declarat, quod omnia fere universaliter compræhendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem; sequemur autem Universitatem hoc modo, si hanc fidem veram esse fateamur, quam tota per Orbem Terrarum confitetur Ecclesia: Antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctissimos majores, & Patres nostros celebrasse manifestum est: Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, aut certe fere omnium Sacerdotum pariter, & Magistrorum definitiones, sententiasque sectemur. Hæc Lirinensis sensa 1. *p.* com-

common. c. 3. dum sequimur, & Philosophis antiquitatem, universitatem, & consensionem opponere studemus, non est animus ostendere omnes veteres Ecclesiæ Patres unanimi consensu tenuisse, animas quotidie a Deo creari, moxque suis infundi corporibus: scimus namque diu, multumque super animarum ortu, atque origine in Ecclesia disceptatum fuisse, affirmantibus aliis omnes animas in exordiis mundi efformatas fuisse: aliis quotidie efformari ex nihilo, aliis vero adinstar corporis unam ex alia traduci: *audio*(inquit Ruffinus Aquilejensis Præsbiter in *apologia*, quam pro se ad *Anastasium* Romanum Pontificem scripsit, ut in operibus Sancti Hieronymi to. 2. Veronensis Editionis legitur) *& de Anima quæstiones esse commotas: de qua re utrum recipi debeat querimonia, an abiici, Vos probate. Si autem & de me, quid sentiam, quæritur, fateor me de hac quæstione apud quamplures Tractatorum diversa legisse. Legi quosdam dicentes, quod pariter cum corpore per humani seminis traducem etiam anima difundatur: & hoc quibus poterant assertionibus confirmabant; quod puto inter Latinos Tertullianum sensisse, vel Lactantium, fortassis & alios nonnullos: alii asserunt, quod formatis in utero corporibus Deus quotidie faciat Animas, & infundat: alii, quod factas olim ex nihilo nunc eas judicio suo dispenset in corpora. Hoc sentit Origenes, & nonnulli alii Græcorum.*

Quod igitur Traditum esse volumus, illud est, omnes, & singulos homines Adami, & Mundi Synchronos minime esse, sed novos quotidie fieri, & gigni; a qua sententia nec Origenes, nec

Græci abhorrent, qui tametsi dicunt Animas prius fuisse Angelos, qui ob patrata in alia vita sine corpore crimina in corpora tanquam in carceres detrusi sint; in hoc cum aliis & ipsi sentiunt, tunc primum homines fieri, quando formatis in utero matris, atque ex matris semine corporibus animæ infunduntur, quod a novitio systemate alienum est; itaque quamvis in controversia diu fuerit, utra harum opinionum melior esset, an quæ asserit Animas a Deo e nihilo creari, an vero quæ ex traduce fieri docet; constantissimum tamen semper fuit, novas quotidie Animas fieri, & produci: ita a maioribus suis Ecclesiam accepisse, idque tenuisse omnes duplici facto ostendo, quorum primum est *Synesii* Ptolemaidis Episcopi, quod legitur apud Eminentissimum Annalium Parentem ad annum Christi CCCCX.

Fuit *Synesius* Patria Cyrenensis, atque Alexandriæ sub Pontificatu *Theophili* Patriarchæ versatus. Hic teste *Evagrio* lib. I. c. xv. apud Baronium, cum in rebus aliis disertus, tum in Philosophia egregie excolenda adeo cæteris eximius fuit; ut etiam a Christianis in magna haberetur admiratione; eum propterea, ut ex ethnico Christianus, & Sacerdos, quinimo & Episcopus fieret, adhortabatur præ cæteris Theophilus: pro virili renuit diu, obstititque *Synesius*; quoniam Philosophorum Platonicorum placita, quæ cum Christiana Fide stare neutiquam poterant, mente atque animo abiicere nolebat. Χαλεπόν ἐστιν, εἰ μὴ καὶ λίαν ἀδύνατον εἰς ψυχὴν

τὰ

τὰ διὰ ἐπιστήμης εἰς ἀπόδειξιν ἐλθόντα δόγματα σαλευθῆναι· Οἶδα δ' ὅτι πολλὰ Φιλοσοφία τοῖς θρυλλουμένοις τούτοις ἀντιδιαπάττεται δόγμασιν. Α᾿μέλει τὴν ψυχὴν οὐκ ἀξιώσω ποτὲ σώματος ὑστερογενῆ νομίζειν. Τὸν κόσμον οὐ φήσω, καὶ τἆλλα μέρη συνδιαφθείρεσθαι. Τὴν καθωμιλημένην ἀνάστασιν ἱερόν τι καὶ ἀπόρρητον ἥγημαι, καὶ πόλλου δέω ταῖς τοῦ πλήθους ὑπολήψεσιν ὁμολογῆσαι· ita ferme ad *Evoptium* Fratrem suum epistola: quæ est 105. scripsit) idest: *difficile est, atque adeo fieri omnino non potest, ut animus, quæ per eruditionem, & scientiam in certam, necessariamque persuasionem evaserint, fluctuare, & in dubium vocare sinat. Nosti porro Philosofiam admodum divulgatis istis Christianorum adversari opinionibus. Itaque* [en Christianorum opiniones, quas, ne complecteretur Synesius, verebatur) *haud unquam adducar, ut posterius animam, quam corpus gigni credam: neque mundum ipsum, & partes ejus aliquando interituras esse dicam: resurrectionem prædicatam sacrum quiddam, & minime vulgandum esse dico, neque conceptis vulgi opinionibus assentiri possum*. Ita ex veteri versione, a qua non differt Petaviana .' Tanti erat ea tempestate opinio illa, quæ Animas nonnisi post corporum efformationem asserebat, ut qui secus sentiret, a Christianorum cœtu non minus arceretur, quam ille qui dogma de mundi interitu, & corporum Resuretione non crederet, nec prius factus est Christianus Synesius, quam id genus Philosophorum placita animo suo excusserit; ut in eadem

dem epiſtola ſpondet ſe facturum, *ſi ab uno ad aliud vitæ genus*, ab ethnicismo ſcilicet ad Chriſti fidem *demigrare neceſſe fuerit*. Num hæc omnia ex animo egerit, vel ficte Synesius, perinde nobis eſt; dum conſtet quid tanquam fidei dogma Synesii tempore firma Patrum Traditione crederent Chriſtiani.


Porro humana corpora non niſi materno in utero, maternoque e ſanguine primum fieri, poſtquam fœmina maris ſemen ſuſcepit Synesii tempore extra controverſiam poſitum erat, ita quoque fatentibus ipſiſmet novis Philoſophis ideo glorantibus ſe primos fuiſſe, qui hoc Naturæ arcanum noviſſime reſeraverint.

Alterum eſt Ruffini. Latinitate donaverat librum Origenis περὶ ἀρχῶν Ruffinus; at cum nonnulla de ſuo Origenis ſenſibus adieciſſet, quæ illum Origenianæ doctrinæ addictum haud obſcure prodebant, multorum invidiam ſubiit, Hieronymi præſertim, a quo tanquam Origenianus vapulavit. Omnia egit Ruffinus, ut hanc ſibi impactam ab Hieronymo notam excuteret, ſcripſit ad Anaſtaſium Rom. Pontificem pro ſe apologiam, in qua inter cætera ab errore Origenis de animarum origine ſeſe his verbis expedire arbitratus eſt: *Ego vero cum hæc ſingula legerim* (tres nempe ſuperius memoratas de Animarum ortu opiniones) *Deo teſte dico, quia uſque ad præſens certi, & definiti aliquid de hac quæſtione non teneo, ſed Deo relinquo ſcire, quid ſit in vero, & ſi cui ipſe revelare dignabitur. Ego tamen hæc ſingula & legiſſe me non nego, & adhuc ignorare confiteor, præter hoc, quod manifeſte tradit Eccleſia, Deum eſſe Anima-*

marum, & Corporum Creatorem. At tantum abest, ut Ruffinus confitendo Deum esse auctorem animarum, & corporum se ab impacto errore exemerit, fregeritque Hieronymi impetum; ut imo oleum camino addiderit, adversariumque suum exasperaverit magis: unde factum est, ut totum secundum librum, qui *contra Ruffinum* inscribitur, adversus hanc apologiam direxerit Hieronymus eum compellens, ut tandem aliquando aperte fateretur tanquam quid revelatum, atque Ecclesiæ Traditum animas a Deo quotidie fieri, quotidie produci; si Origenianus in hac parte audire nollet, & Fidelium scandala vellet evitare: *& ne forte non credam imperitiæ tuæ, & arbitrer te callide reticere quod nosti, juras Deo teste, quod usque ad præsens certi, & definiti aliquid de hac quæstione non teneas, & Deo relinquas scire quid sit in vero, & si cui ipse revelare dignabitur. Per tanta sæcula tibi nullus videtur dignus fuisse, cui de hac quæstione Dominus revelarit? Non Patriarcha, non Propheta, non Apostolus, non Martyr, ne tibi quidem, quando in carceribus, & exiliis morabaris, hujusmodi sacramenta patuerunt? Dominus in Evangelio Pater, inquit, revelavi nomen tuum hominibus: qui Patrem revelavit, de animarum statu tacuit? & miraris, si contra te fratrum scandala concitentur; cum id nescire te juras, quod Christi Ecclesiæ se nosse fateantur?* ubi notandum, duo Doctorem Maximum præstare, unum tanquam certissimum, atque ab omnibus sine dubitatione tenendum, quodque Christi Ecclesiæ nosse fatebantur, novas videlicet animas quotidie a Deo fieri;

ri: *Hoc enim ubique, hoc semper, hoc ab omnibus, universitate, antiquitate, & consensione* creditum est: alterum vero etsi non omnino certum, ut verius tamen, & probabilius, animas nimirum, ex nihilo singillatim creari.

Ex gemina hac historia in aprico est, quid majorum Traditione de hominum origine veteres crediderint Christiani. Hanc eandem Traditionem sine ulla interruptione ad nos usque integram pervenisse Wolfius non inficias ibit.





CAPUT IV.

Ecclesiæ Universæ consensus *systema Du-Vigerii, Leybnitzii, & Wolfii reicit, & damnat.*

NOn aliunde, quid super hac re Ecclesia sentiat Universa, facilius potest, aut commodius colligi, quam ex admirabili Dominicæ Incarnationis Mysterio, & singulari SS. Virginis Maternitate. Fides Catholica, cui non assentiri piaculum, docet, & prædicat Divinum Verbum veram carnem, verumque corpus nostro corpori, nostræ carni in omnibus, præter quam in culpa simillimum a Divino Spiritu elaboratum in Virgine atque e Virgine sumsisse, natumque Deum-Hominem Christum æterni Patris quantum ad divinitatem, & quantum ad humanitatem creatæ Matris verum, & consubstantialem Filium. Matthæus sic suum exorditur Evangelium: *Liber generationis Jesu Christi Filii David, Filii Abraham, Abraham genuit ..... Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*, & Apostolus suam ad Romanos

Epi-

Epistolam: *Paulus servus Jesus Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium, quod antea promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis de Filio suo, qui factus est ex semine David secundum Carnem*, qui postmodum ad Gallatas cap. 4. *Cum venit*, inquit *plænitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere;* quod adeo verum est, ut *Ven. Beda* lib. 4. cap. 49. in II. Lucæ cap. scripserit: *Sed si caro Verbi Dei secundum carnem nascentis a carne Virginis Matris pronuntiatur extranea, sine caussa Venter, qui eam portasset, & ubera, quæ lactassent, beatificarentur. Dicit enim Apostolus: quia misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege:. Neque audiendi sunt, qui legendum putant: natum ex muliere, factum sub lege; quia conceptus ex utero virginali carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne: alioquin nec vere Filius Hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine*. Hinc nedum Cerdonem, Basilidem, Manichæos, & Priscillianistas impie blasphemantes, teste S. Augustino lib. de hæresibus, Christum purum, putumque phantasma fuisse, & veram sumsisse carnem impudenter negantes, sed Apellem quoque, Valentinum, atque utrumque Apollinarem, qui tametsi in Christo veram carnem, verumque corpus agnoscerent, at illud non ejusdem cum nostra carne substantiæ, nec ex Virgine factum, sed a Verbo aliunde delatum & tantum per Mariam veluti per rimam, & fistulam ductum existimabant, uti & Eutichetem hoc ipsum asserenten, tanquam impios hæreticos anathemate percellit:

Dum hoc orthodoxæ fidei caput Catholica Ecclesia firmiter credit, credendumque proponit, novorum Philosophorum systema de ortu omnium hominum, eorumque una in Adamo creatione continenter damnat, & reicit. Et primo fundamentum illud, basisque præcipua, cui tota innititur imaginaria Recentiorum machina funditus ruat, oportet. Autumant Philosophi a mundi creatione nullos deinceps factos fuisse, aut fieri homines; propterea quod dicitur in Scripturis Deus septima die cessasse ab omni opere, quod fecerat, quasi septima illa dies æternum Sabbathum fuerit; cum Christi humanitas, quam Divinum Verbum assumsit, sibique univit, post multum temporis ab orbe condito, idest non post lustra solum, aut sæcula, sed & post annorum Chiliades creata sit, atquæ producta. Et sane si Christi anima, quæ potior humanitatis pars est, & princeps, ab initio creata fuisset, vel statim divino Verbo fuisset unita, vel diu ab eo mansisset sejuncta, neutrum sine errore. Audiatur Angelicus Præceptor, cui herbam porrigere, fascesque submittere debent Philosophi omnes, nedum Theologi. 3. part. quæst. 6. art. 3. inquirens: *An anima a Dei Filio prius fuerit assumta, quam caro*, dubium istud ita Angelice potius de more, quam humane solvit. *Respondeo dicendum, quod Origenes posuit in suo Periarchon lib. 1. cap. 7. & 8. lib. 2. cap. 8. omnes animas a principio fuisse creatas, inter quas etiam posuit animam Christi creatam. Sed hoc quidem est inconveniens, si ponatur quod fuerit tunc creata, sed non statim Verbo unita: quia sequeretur, quod anima illa aliquando*

do habuisset propriam subsistentiam sine Verbo, & sic cum fuisset a Verbo assumta, vel non esset facta unio secundum subsistentiam, vel corrupta fuisset subsistentia animæ præexistens. Similiter etiam est inconveniens, si ponatur, quod anima illa fuerit a principio Verbo unita, & postmodum in utero Virginis incarnata; quia sic ejus anima videretur esse non ejusdem naturæ cum nostris, quæ simul creantur, dum corporibus infunduntur. Unde Leo Papa dicit in epist. ad Julianum, quod non alterius naturæ erat caro ejus, quam nostra, nec alio illi, quam cæteris hominibus animæ est principio spirata.

Reponet fortassis non nemo Wolfii caussam oraturus, Incarnationem Divini Verbi miraculum fuisse, illudque propterea in exemplum trahi minime posse. Perbelle sane, atque eleganter: miraculum & quidem, excellentissimum miraculum fuisse Divini Verbi Incarnationem & nos credimus, fatemur, & prædicamus, adeoque ingens miraculum, ut creaturas omnes in sui rapuerit admirationem: at non omni ex parte miraculum esse dicimus: miraculum quod Virgo conceperit sine Viri consortio; miraculum, quod pepererit infracto Virginitatis claustro, miraculum, quod duæ naturæ inter se se prorsus diversæ Divina scilicet & humana in unam, eandemque coaluerint hypostasim, Verbumque factum fuerit caro, & Deus Homo: hinc cum Ecclesia in festo Circuncisionis canimus: *Mirabile Mysterium declaratur hodie, innovantur naturæ, Deus Homo factus est, quod fuit permansit, & quod non erat assumsit, non commixtionem passus, neque divisionem.* At quod Christi animam Deus creaverit, eamque corpori qualicumque arte in utero

ro Virginis elaborato mox infuderit, miraculum fuisse nemo dixerit; nisi miraculum esse voluerit cuiuscumque animæ creationem, eiusque corpori infusionem: Non ea igitur ex parte, qua Incarnatio Divini Verbi miraculum est, in exemplum illam adducimus, sed ex ea tantum, unde æqua est in Homine-Christo, reliquisque hominibus conditio. Quemadmodum igitur Christus Servator, qua homo est, neque quoad corpus, neque quoad animam in mundi exordiis creatus fuerat, sed post quatuor annorum millia in Virginis utero, ita & reliquos homines tum primum & esse, & vivere cæpisse asserimus, cum primum inter materna viscera efformantur.

Quo vero pacto ea Geneseos verba: *Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab omni opere quod patrarat*, debeant intelligi, discant *a S. Augustino* in Epist. *ad Hieronymum*, quæ est CXXXI. in primo Tomo operum S. Hieronymi Editionis Vallarsianæ: *Ea vero, quæ dicuntur alia contra hanc opinionem facile puto me posse refellere, sicut est illud, quo eam sibi quidam videntur urgere, quomodo consumaverit Deus omnia opera sua sexto die, & septimo requieverit, si novas adhuc animas creat...... Verum his, qui hæc ideo dicunt, ne credatur modo Deus sicut illam unam, novas animas, quæ non erant, facere........ facile respondetur, etiam illis sex diebus multa Deum creasse ex his naturis, quas jam creaverat, sicut ex aquis Alites, & Pisces ex terra autem arbores, fœnum, animalia; sed quod ea, quæ non erant, tunc fecerit, manifestum est. Nulla enim erat Avis, nullus Piscis, nulla Arbor, nullum Animal,*

&

& bene intelligitur ab his creatis requievisse, quæ non erant, & creata sunt, ideſt ceſſaſſe, ne ultra, quæ non erant crearentur..... Jam enim ſexto die fecerat hominem ad Imaginem ſuam, quod utique ſecundum animam rationalem feciſſe intelligitur. Hoc & nunc facit, non inſtituendo quod non erat, ſed multiplicando quod erat. Unde & illud verum eſt, quod a rebus, quæ non erant inſtituendis requievit, & hoc verum eſt, quod non ſolum gubernando, quæ fecit, verum etiam aliquid, non quod nondum, ſed quod jam creaverat, numeroſius creando uſque nunc operatur.

Ergo etſi demus Verbi Incarnationem nihil prorſus officere huic novitio ſyſtemati, alia ſuperanda remanet difficultas longe momentoſior orta ex Virginis Mariæ Maternitate, quæ Theologis inſolubilis plane videtur. Fatentur communiter Catholici, & cum Catholicis Hæretici Lutherani, & Calviniani, & tanquam fidei caput agnoſcunt B. Virginem ob conceptum, partumque Servatoris vere proprieque ejus Matrem factam fuiſſe, & non ſolum Chriſti-Hominis ſed & Chriſti-Dei: damnantque propterea, Neſtorium, qui eam tantum χριςοτόκον Chriſti ſcilicet matrem, & non θεοτόκον Dei Matrem appellandam eſſe dicebat, ut in III. Oecumenica Synodo anno CCCCXXXI. Epheſi definitum, & ſancitum eſt.

Hoc alterum Orthodoxæ fidei dogma noſtris Philoſophis, e regione opponitur; aut dicendum Mariam eam fæminam fuiſſe, quæ una veræ matris nomen mereatur, cæteras autem fæminas, & ſi centies, & millies pariant, Matres tantum in

ſpe-

ſpeciem eſſe. Enimvero non aliam ob cauſſam Sanctiſſima Virgo, ut vera Chriſti Servatoris Mater, & Genitrix in Eccleſia Catholica colitur, quam ob id, quod Chriſti Corpori, ut a Spiritu S. ſuo in utero elaboraretur, materiam, ſuam ſcilicet carnem, ſuumque ſanguinem ſubminiſtravit. Cum vero id minime præſtent reliquæ fœminæ, ut clarum eſt in hoc ſyſtemate, veræ matris nomen non merentur. At quis eſt, per fidem, qui fœminas filiorum, quos edunt, veras Matres eſſe inficias iverit, aut minus matres, quam fuerit Virgo Sanctiſſima, eſſe contenderit. Non hæc eſt Eccleſiæ Catholicæ fides, quam ejus Antiſtes, & Præſul Leo Magnus in epiſt. 24. ad Flavianum ſcribit: *An forte ideo putant (*Hæretici Eutichiani*) Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum non noſtræ eſſe naturæ, quia miſſus ad B. Virginem Angelus dixit: Spiritus S. ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei? ut quia conceptus Virginis divini fuit operis, non de natura concipientis caro fieret concepti? Sed non ita nobis intelligenda eſt illa generatio ſingulariter mirabilis, & mirabiliter ſingularis; ut per novitatem Creatoris proprietas mota ſit generis. Fœcunditatem Virginis Spiritus S. dedit, veritas autem corporis ſumta de corpore eſt, & ædificante ſibi ſapientia domum Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis, hoc eſt in ea carne, quam aſſumſit ex Homine, (*B. Virgine*) & quam Spiritus vitæ rationalis animavit.* Si ſecus in Chriſti conceptu ſe geſſit Maria carnem ſubminiſtrando, ac aliæ fœminæ, quæ faciundo fœtui nihil tribuunt, mota pro-

profecto fuisset generis proprietas, nec de natura concipientis caro fieret concepti in aliis parturientibus.

Alterutrum igitur fatendum, aut Mariam duntaxat vere, & proprie Matrem fuisse Christum Servatorem pariendo; aut si pares in maternitate cum Maternitate aliæ fæminæ sunt, non minus istæ, quam illa carnem, & sanguinem filiis suis efformandis tribuunt; *ne generis proprietas moveatur, & ut fiat de carne concipientis caro concepti*. Quod si veræ Matres nihilominus sunt fæminæ omnes, etiamsi ex earum carne filiorum caro non fiat, quorsum, & quamobrem damnantur ab Ecclesia tanquam hæretici quasi Maternitatem Virgini eripuerint, qui dicunt Christi Corpus non ex Virginis carne elaboratum, sed alibi factum, & per Virginem solummodo ductum foras exisse? Non ne hoc ipsum quotidie in omnibus Puerperis contingere Du-Vigerius, Leybnitzius, & Wolfius docent?

Quid plura? Erasmus Scriptor Lutheranis minime suspectus adeo est in asserenda hac Ecclesiæ Universæ Fide, ut S. Hilario hæreseos notam impingat; propterea quia lib. 10. de Trin. num. 15. dixerat, quod *Virgo nonnisi ex suo Sancto Spiritu genuit, quod genuit: & quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret: quantum ex se fæminæ edendornm susceptis originibus impenderent; non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coalluit naturam:* ratus his verbis Hilarium veram Virgini Mariæ maternitatem eripuisse: sic enim ait superciliosus Aristarchus in Præfatione ad opera ejusdem S. Hilarii: *librô tertio*,

sed magis libro decimo sic loquitur de Corpore Christi (Hilarius) *; ut sentire videatur, Mariam Virginem præter concipiendi, gestandi, & pariendi ministerium nihil addidisse de suo*. Calumnia putidissima quidem, tanto Doctori, & Patri ab Erasmo inscite impacta, qui cum simplex esset grammaticus, veluti sutor ultra crepidam judicium de Patribus, & Theologis protulit; at in ea parte, qua fæminas carnem suam, suumque sanguinem filiis, quos edunt, subministrare asserit Erasmus, ejus testimonium utpote id narrantis, quod ab Ecclesia Universa creditur, parvi faciendum non est.



CA-



CAPUT V.

Novitia Philoſophorum de Hominum ortu opinio cum Concilii Oecumenici auctoritate *ſtare neutiquam poteſt.*

UT poſitam a Melchiore Cano methodum exacte ſequamur, poſt Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem adferenda eſt adverſus Philoſophos, quibuſcum in præſentia diſceptatio eſt, auctoritas Conciliorum, & ne quam par eſt longiores ſimus multorum Conciliorum faraginem cumulando, unum tantum Oecumenicum Concilium, Lateran. videlicet V. ſub Leone X. initio ſeculi XVI. Romæ celebratum adducimus, in quo hæc eadem Du-Vigerii, Leybnitzii, & Wolfii opinio adeo aperte præfocata eſt, ut mirum ſit poſtmodum naſci potuiſſe.

Die XIV. Kal. Januarii anni MDXIII. in ſolemni ſeſſione, quæ octava in ordine fuit, ita definitum eſt. *Cum itaque diebus noſtris zizaniæ tentator antiquus humani generis hoſtis nonnullos*

perniciosissimos errores a Fidelibus semper explosos in agro Domini superseminare, & augere sit ausus, de natura præsertim Animæ rationalis, quod videlicet mortalis sit, aut unica in cunctis hominibus, & nonnulli temere philosophantes, secundum saltem Philosophiam verum id esse asseverent; contra hujusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes: cum illa non solum vere per se, & essentialiter humani Corporis forma existat, sicut in Canone fel. rec. Clementis Papæ V. Prædecessoris nostri in Generali Viennensi Concilio edito continetur; verum & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur MULTIDUDINE SINGULARITER MULTIPLICABILIS, ET MULTIPLICATA, ET MULTIPLICANDA SIT.

Hæc postrema Verba, *pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, multiplicata, & multiplicanda* nedum eorum jugulum petunt, qui unam tantum in omnibus hominibus esse animam effutierunt, sed eorum etiam, qui omnes, & singulas in mundi exordiis creatas, suisque corporibus continenter infusas fuisse autumant: quo enim pacto multiplicabilis, & multiplicanda Anima foret, si omnes simul & singulæ una creatæ sunt, cum primum Deus mundum condidit? Præfocavit igitur, antequam nasceretur, hanc novorum Philosophorum de ortu hominum opinionem Sacrosancta Lateranensis Synodus, & hanc a se latam damnationem adeo fir-

firmam esse voluit, ut de ea ne leviter quidem dubitare permittat. Unde concludit: *quamobrem nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, reprobationis, definitionis, inhibitionis, decreti, ordinationis, statuti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem* (audiant philosophi illi, qui insuperhabita fide de omnibus opinari sibi licitum putant) *hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, & B B. Apostolorum ejus Petri & Pauli se noverit incursurum.*

Ne dicant verba hæc Leonis potius R. Pontificis, quam Concilii esse: nam etsi hoc demus, certum tamen est, Leonem in solemni sessione *sacro approbante Concilio* locutum fuisse, atque hoc ejus decretum ab Joanne Archiepiscopo Gneznensi totius Poloniæ Primate atque Polonorum Regis Oratore, qui inter Patres huius Lateranensis Concilii non infimum subsellium occupabat *exclusis de more de loco Concilii omnibus non habentibus voces definitivas, remanentibus in suis subselliis Prælatis post Cardinales mitratis, & sacris vestibus indutis in præsentia Sanctissimi D. N. ex* ambone solemniter promulgatum: quo lecto postulati sunt Patres, *num eis placeret, & omnes responderunt simpliciter placere*. Ita legimus in actis ejusdem Lateranensis Concilii apud doctissimum Labbeum to. 19. Editionis Venetæ anni 1737.

At inquies, etsi definitio hæc non tam Concilii, quam Leonis fuerit, quid inde adversus Philosophos nostros, qui cunctos homines initio temporis creatos opinantur? Leo, & Concilium allato decreto in eos tantum animadverterunt, qui

qui animam mortalem, & unicam in omnibus esse contendebant; quandonam vero, & ubinam omnes, & singulos homines creaverit Deus, nec quærunt nec definiunt; imo nec quærendi, aut definiendi locus erat, cum eo tempore nemo unus ex Philophis fuerit, qui id diceret, quod hac nostra ætate Philosophi res maturius, atque intimius speculantes invenerunt.

Subtiliter quidem, & ut Philosophum decet, at minus vere: etsi enim Pontifex, & Concilium id potissimum in animo habuerint; ut animæ immortalitatem, ejusque multiplicationem adversus nonnullos illius ætatis male feriatos Philosophos adsererent, & definirent; in ea nihilo tamen minus definitione quando & ubi hæc multiplicatio animarum fiat, tempestive non minus, ac opportune sanxerunt, & quid in hoc negotio credendum sit, decreto suo firmarunt verbis illis, *& pro corporum, quibus* (in utero utique materno) *infunditur, multitudine, singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda*, quasi dicerent, anima non unica in omnibus est, sed multiplex, quæ quoties corpori in utero materno formato infunditur, multiplicatur, & quoties postmodum nova efformabuntur, corpora, quibus infundetur, multiplicabitur.

Nec refert nullum fuisse eo tempore Philosophum, qui id docuerit, quod nunc Recentiores venditant: quis enim nesciat, errorem quemlibet vel in Scripturis, vel in Conciliis, vel in Patribus damnatum esse, priusquam oriatur? omnis error, quo recentior est, eo magis vetustati opponitur, & tunc solum solemniter proscribitur,

quan-

quando fit communior: imo error non esset, nisi ab antiquitate utcumque proscriptus inveniretur. Exemplum ex tempore in hac re nobis exhibet idemmet Concilium Lateranense V. dum Pomponatii, aliorumque Philosophorum de animæ mortalitate, & unitate deliramenta proscribit: nemo ante Pomponatii tempora fuit inter Christianos Philosophos, qui unicam in cunctis hominibus animam diceret, & tamen hunc ejus errorem prædamnatum fuisse in Concilio Viennensi sub Clemente V. Lateranenses Patres ex eo aperte commonstrant, quod Synodus Viennensis adversus id genus Philosophos animam rationalem esse veram, propriamq; Corporis formam definierit. In ea quippe definitione palam est, Concilium multiplicem animam esse juxta corporum numerum definiisse; implicat siquidem ut unica in omnibus corporibus anima sit; si cuiuslibet corporis vera, & propria forma est. Quemadmodum igitur ex canone Concilii Vien. intulit Lateranense Concilium novæ tunc opinionis damnationem; ita & ex canone Lateranensis Concilii per quam legitime inferunt Theologi recens natæ opinionis proscriptionem.





CAPUT VI.

Romani Pontifices *Recentiorum Philoſophorum opinationem averſantur, atque abhorrent.*

QUantæ auctoritatis ſit in rebus divinis Apoſtolica Sedes, ſeu Romani Pontifices, non minus eleganter, quam ſapienter oſtendit Melchior Canus *de locis Theologicis* lib. 6. cæterique noſtrates Theologi Polemici. Ab hac enim Sede utpote totius unitatis Eccleſiaſticæ centro oritur, & diffunditur quidquid in Eccleſia Chriſti Plebs fidelis tenet, & credit. Hinc S. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes cap. 3. de hac Sede ita ſcribit: *ſed quoniam omnium Eccleſiarum numerare ſucceſſores valde longum eſt, maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ Eccleſiæ eam, quam habet ab Apoſtolis Traditionem, & annunciatam omnibus fidem pervenientem uſque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam*

ftam propter potentiorem potentialitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est omnes, qui sunt undique fideles, in qua est semper conservata ea, quæ est ab Apostolis Traditio. Si quid propterea R. Ecclesia definierit credendum, quod novis Philosophis adversetur, actum esse de eorum placitis Theologus astutum conclamabit. Jure, & merito; quandoquidem R. Pontifex ea Petra est, super quam Christus Ecclesiam suam ædificavit, & adversus quam Petram portæ inferi eodemmete Christo sponsore non prævalebunt.

Agedum videamus, quid in ea re, de qua in præsentia disputationem instituimus, RR. Pontifices dixerint. S. Leo huius nominis Primus sapientia, & sanctitate Magnus, qui Petri Sedem anno a Christi nativitate juxta Æram Vulgarem CCCCXLIV. post Xisti III. mortem conscendit, rogatus a S. Turribio Astoricensi Episcopo, ut Priscillianam hæresim in Hispania serpentem proscriberet, prolixam ad eumdem epistolam dedit, in qua Priscillianistarum errores ex ordine damnat, & Hispaniæ Episcopos, ut Nationale Concilium cogant, adhortatur, quod & coactum fuit anno CCCCXLVII. in Urbe Lucensi Præside Balconio Bracarensi Episcopo: Numero itaque IX. huius Epistolæ hæc ad rem nostram perquam opportune ait Leo: *Nona autem adnotatio manifestat, quod Filios promissionis ex mulieribus quidem natos, sed ex Spiritu Sancto dicant esse conceptos, ne illa soboles, quæ de carnis semine nascitur, ad Dei conditionem pertinere videatur, quod Catholicæ Fidei repugnans atque contrarium est*, QUÆ OMNEM HOMINEM, *in corporis, ani-*

mæque ſubſtantiam a Conditore univerſitatis formari, atque animari intra materna viſcera confitetur, manente quidem illo peccati, mortalitatiſque contagio, quod in prolem a primo Parente tranſcurrit. Quo teſtimonio nil clarius contra novos Philoſophos. Duo hic præſtat Pontifex, Priſcillianiſtarum errorem, quo Filii promiſſionis a mulieribus quidem nati, concepti vero a Spiritu Sancto dicebantur, damnat; & fidem Catholicam, quæ homines *intra materna viſcera formari, atque animari confitetur*, firmat, eamque Priſcillianiſtis opponit. Porro homines qui formantur, & animantur intra materna viſcera, olim in Adamo formati, & animati non fuerunt.

Et numero x. poſtquam Priſcillianiſtarum dogma de Animarum ortu, quod Origenis dogmati affine erat, recenſuit, ita illud ſugillat; *quam impietatis Fabulam ex multorum ſibi erroribus texuerunt: ſed omnes eos Catholica fides a corpore ſuæ unitatis abſcidit, conſtanter prædicans, atque veraciter, quod Animæ Hominum, priuſquam ſuis inſpirentur corporibus* (intra materna viſcera primum formatis, ut ſupra Leo dicerat) *non fuere*. Itaque ſi juxta Leonis ſententiam, vel ut melius dicam, juxta fidem Catholicam, quam Leo Pontifex hæreticis Preſcillianiſtis oppoſuerat, homines intra materna viſcèra primo formantur, atque animantur, nec eorum Animæ priuſquam ſuis infundantur corporibus in utero Matris utique formatis nullibi fuerunt: qui modo aſſerunt cunctos homines, & quoad corpus, & quoad animam ſimul una fuiſſe creatos, manifeſte tanto Pontifici, fideique Catholicæ per os Leonis prædicatæ adverſantur. Al-

Alterum Roman. Pontificem nobis exhibet idemmet Wolfius in sua *Psychologia rationali* sectione 4. cap. 2. §. 104. Æditionis Veronensis, *Gelasium* nimirum, qui sub finem ejusdem seculi V. Christi Ecclesiam rexit. Gelasius itaque in libro, quem adversus Euthichem, & Nestorium de duabus naturis scripsit, *nec initialiter*, inquit, *Anima alibi potuit existere, quam in corpore, nec corpus valet constare sine Anima*. Quæ verba non in eum sensum accipienda sunt, in quem accipit Wolfius, quasi id solum voluerit Gelasius, ut Anima nunquam fuerit sine corpore, & nullibi, quam in corpore, non vero ut humanum corpus intra materna viscera primum elaboretur, ibique ei inspiretur Anima, alioquin a fide orthodoxa, & Catholica, quam paulo ante ejus Prædecessor Leo Magnus prædicaverat, turpiter descivisset: quod nec Wolfium, Lutheranum licet, pro ea, quam in Patres profitetur, reverentia dicturum puto.

Tertius Romanus Pontifex, qui hanc eamdem novitiam opinionem de hominum ortu tanquam commentum reiicit *Gregorius Magnus* est in Epistola ad Secundianum quæ est LIII. in ordine: *Hac de re* inquit, *dulcissima mihi tua caritas sciat, quia de origine Animæ inter SS. Patres requisitio non parua versata est, sed utrum ab Adamo descendat, an certe singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Gravis enim quæstio est, nec valet ab homine compræhendi*. Quid est vir magne, quad ab homine compræhendi non potest, vel quod insolubile fassi sunt SS. Patres, incertumque reman-

sit? Forsitan tempus, quo Deus Homines facit? postquam Leo Antecessor tuus dixit, homines formari, atqne animari intra materna viscera, an vero quod creentur ex nihilo, vel fiant ex traduce, de quo neminem fugit diu in Ecclesia, atque inter Patres disceptatum fuisse? Ita hercle; alioquin si vel tantum subbscure innotuisset omnes, & singulos homines una cum mundo exordium habuisse, rejecta gemina illa opinione utpote captu difficillima hanc tertiam substituisset, & ita quod a nullo compræhendi posse dixerat, nullo negotio compræhendisset, eamque prædicasset, & tam diuturnam inter Patres litem, pro ea, qua pollebat, supremi in Ecclesia Capitis, & moderatoris auctoritate, quam cito composuisset.





CAPUT VII.

Unanimi Patrum ſenſui *recens ſyſtema e diametro opponi commonſtratur.*

TAmetſi in his rebus, quæ cum fide nil habent, non plus Patrum, quam Philoſophorum valeat auctoritas; niſi adſint rationum momenta, quæ Patrum teſtimonia corroborent; in iis tamen, quæ ad fidem utcumque ſpectant, majori in prætio Patres habendos eſſe, quam Philoſophos, nemo inter Catholicos eſt, qui dubitet. Patrum teſtimonia parvi pendere eximium ſemper Luthero fuit, aliiſque hæreſeum monſtris, a quorum impudentia ſane quam abhorret Wolfius (utinam & a cæteris Pſeudo-Magiſtri ſui deliramentis abhorreat) qui ut ſupra innuimus, quominus ea, quæ Patres docent, impugnare videatur, hanc eamdem opinionem quantumvis ſyſtemati ſuo accomodatiorem, mutare non dubitaverit. Auſcultandi igitur ſunt Patres, quos Deus in Eccleſia ſua tanquam magiſtros

gistros optimos posuit, a quibus nedum Theologi, verum & Philosophi ea, quæ fidei sunt, & sanæ Theologiæ congruunt, acciperent: fieri enim haud potest, ut Patres omnes erraverint, atque in uno eodemque versati fuerint errore.

Ad rem igitur nostram agmen ducat invictus Christi Martyr, atque hujus amplissimæ Civitatis, antiquissimæque Veronensis Ecclesiæ Antistes Zeno, qui tertio, ut major Scriptorum pars refert, inneunte seculo imperante Gallieno floruit. Hic in Sermone secundo *de Genesi:* loquens de hominis creatione, ejusque Anima ad Dei imaginem creata: *incomprehensibilis est*, inquit, *Dei imago, invisibiles sit, neccesse est, denique oculis non est subiecta carnalibus, nam neque cum ingreditur corpus nostrum, neque cum de corpore egreditur a quoquam depræhendi potest*. Inepta Zenonis locutio, si vel per somnium putasset S. Præsul Animas cum corporibus suis in mundi conditione fuisse creatas. Quomodo enim, queso te, Martyr invictissime depræhendi potest Anima, cum corpus ingreditur, quæ a mundi exordio suo in corpore reperitur?

Zenonem excipiat Hilarius lib. 10. de *Trinitate* ante medium, ubi ait: *Anima hominis opus est Dei, carnis vero generatio semper ex carne est*. Cum itaque Hilarium Origeniana fuligine vel leviter tinctum nemo dixerit, clarumque porro sit carnis generationem ex carne Hilarium admisisse, consectarium evidentissimum est, novas quotidie fieri Animas, cum nova fiat carnis ex carne generatio, tanquam certum Pictavinsem Præsulem admisisset.

Cy-

Cyrillus deinde hoc ipsum docet lib. 1. in Joan. cap. 9. *εὐκαίρως ἄρα καὶ δικαίως τὸ μὴ ἁμαρτάνειν ἀπαιτούμεθα, μόνον ἔχοντας τοῦτον τοῦ εἶναι καιρὸν, καθ' ὃν μετὰ σώματος εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμεθα, τὸ μὲν εἶναι πρότερον ὥσπερ τινὰ τόπον καταλιμπάνοντες, καὶ ἐξ αὐτοῦ προϋπάρξεως ἀρχὴν μεθιστάμενοι. opportune*, inquit, *ac juste non peccare in hac carne jubemur; quoniam eo cœpimus tempore, quo una cum corpore in hunc mundum venimus, & quasi a loco quodam a nihilo ad esse pervenimus.* Nunquid optime Cyrille in hunc mundum cum corpore venimus a prima statim rerum creatione, ut in eo corpusculo, in quo hactenus fuimus, non peccare juberemur?

Theodoretus sermone V. de Curatione Græcarum affectionum. *διαμορφοῦσθαι πρότερον ἐν τῇ νηδύϊ λέγει τὸ βρέφος, εἶθ' οὕτω ψυχοῦσθαι, οὐ θύραθέν ποθεν τῆς ψυχῆς εἰσκρινομένης, οὐδέ γε ἐκ τῆς γονῆς φυομένης, ἀλλά γε τῷ θείῳ ὅρῳ, κατὰ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἐντεθέντα ἐν τῇ φύσει νόμον δεχομένης τὴν γένεσιν: Formari prius in alvo Matris infantem ait* (Moses) *ac tum denique jam præfecto corpore Animari, non ita quidem, ut Anima præexistens aliunde corpori inseratur. Neque ut nascatur ex semine, sed divino instituto, sicut ab initio insita Naturæ Lex fuit, creationem accipiat.*

Sanctorum Hieronymi, Optati Milevitani non est, quod mentem inquiramus, obvia enim sunt, quæ de quotidiana Animarum creatione non obiter, sed fuse, & diligenti examine docuerunt.

San-

Sanctus Eucherius Lugdunensis Episcopus, qui sæculo V. floruit in cap. 3. *Geneseos* ad illa verba: *& ædificavit Dominus Deus*, ait: *Utrum sicut caro nascentium ex carne, sic animæ ex animabus procreentur, an novæ semper creentur a Deo ex nihilo, quæ quæstio in definiendo difficilis est, quia nihil a SS. Viris, vel scripturarum auctoritate manifestius pronunciatur*; difficilis quoad modum, quo formatur Anima visa est Eucherio quæstio, at certum omnino, quo tempore Anima creetur. Rursus cum carnem ex carne quotidie fieri tanquam certissimum habeat, & aliunde Animas ante corpora extitisse non credat, planum est Eucherium novos quotidie a Deo fieri homines firmiter tenere.

Pomerius Africanus ejusdem V. seculi auctor in lib. 4. de Anima eadem sentit, ac Eucherius, adhuc tamen clarius pro re nostra loquitur, dum ait: *Utrum Anima, quæ nascituro Corpori infundenda est, nova fiat sine peccato, an ex substantia Animæ primi hominis, veluti propago a radice producta, etiam peccatum primæ Animæ secum originaliter trahat?* Anima quæ nascituro corpori adhuc infundenda est, per Eucherium in Adamo creata non fuit.

S. Prudentius Episcopus Tricassinus, qui IX. Ecclesiæ seculo vixit lib. de *prædestinatione* adversus Joannem Erigenam cap. 16. eadem sub dubitatione circa modum, quo fiant Animæ, nostram affirmat assertionem, & novitiam opinionem exsufflat: *nascitur*, inquit, *de carne caro, sed utrum Anima similiter de Anima nascatur, magna quæstio est, & a Patribus diu multumque discus-*

scussa, sed absque certa definitione relicta.

Hoc idem dubium emersit Constantinopoli seculo VI., de cujus solutione Africani Episcopi in Sardinia exules consulti ita Bizantinorum petitioni responderunt cap. 10.: *quæstionem vero Animarum aut tacitam debemus relinquere, aut sine contentione tractare, quia scilicet sive ex propagine veniant, sive novæ singulis corporibus fiant, quod Sanctarum Scripturarum auctoritas non manifeste pronunciat, cum cautela debet inquiri: maxime quod sine fidei detrimento potest a Fidelibus ignorari.*

Ad Ugonis a S. Victore usque tempora, idest ad sæculum XII. idem dubium de modo, quo fierent Animæ, fuit inter Theologos: licet Ugonis Victorini ætate minus probabilis evaserit opinio illa, quæ Animas ex traduce propagari asserebat. Ita lib. de Sacramentis parte 7. cap. 30. Ugo scribit: *probabilius constat Animas ex traduce non esse.* & postquam id demonstravit, pergit]: *his igitur, & ejusmodi rationibus probabile factum est, Animas ex traduce non esse, sed novas de nihilo novis quotidie corporibus, de paterno semine, & rursus in vulva formatis ad vivificationem infundi. In quibus tamen omnibus nulla unquam ratio, sive auctoritas intrinseca prævalere poterit; ut dubietatem tolleret quæstionis: excepto eo solo, quod fides Catholica magis credendum elegit, Animas quotidie corporibus vivificandis sociandas de nihilo fieri, quam secundum corporis naturam, & carnis humanæ proprietatem de traduce propagari.*

At inquies, nullam prorsus fidem merentur hi Patres, & Theologi, parvique facienda est eo-

rum auctoritas, quod æque doceant Animas e nihilo fieri, ac ex traduce propagari; cum hæc posterior opinio error sit, quo nil perversius dici posse, ait S. Augustinus, eamque Hæresim appellat D. Thomas. 1. p. q. 118. a. 2.

Verum non una, sed duplex fuit de propagatione Animarum ex traduce sententia. Tertullianus ratus Animas corporeas, atque extensas esse, eas sicut corpora traduci dixit, & hæc est illa opinio, quæ cum Catholica Fide Animas esse puros putosque Spiritus docente stare neutiquam potest: *nam & illi, qui Animas ex una propagari asserunt*, inquit S. Augustinus, *quam Deus primo homini dedit, atque eas a parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non Spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus oriri, quo perversius quid dici potest?* Hanc vocavit hæresim Angelicus Doctor. Alii contra propagationem Animarum ex traduce sic defendebant, ut nihilo tamen secius eas esse Spiritus crederent. Putabant siquidem impossibilem prorsus non esse materiam quandam spiritalem, ex qua Animæ fierent. Angelos ex hac materia spiritali confectos esse docent *S. Bonaventura* lib. 2. *Sententiarum*, dist. in p. part. art. 1. quest. 2. *Alensis* 2. parte, quæst. 20. membro 2. §. 1. *Aureolus* 2. dist. 3. quest. 1. art. 3. aliique ex Antiquioribus Theologis; nec desunt ex recentioribus, qui ejusmodi spiritalem materiam ut probabilem defendant, quos inter *Arriaga* disp. 1. de *Anima*, sect. 5. *Matthæus Velliensis* Patavinæ Academiæ moderator Scotista tomo 1. de *Angelis*. Patribus igi-

tur

tur, qui Animarum propagationem ex traduce probabilem putarunt, nulla erroris nota inuri debet, nec parvi eorum auctoritas in hac re facienda est; cum Animas non corpora, sed Spiritus dixerint. *Gulielmus* propterea *Estius* Vir cætera omni laude dignissimus minus recte scripsisse videtur; dum lib. 2. sent. dist. 17. quest. 13. sententiam de traduce Animarum paucissimos Patronos olim habuisse, eosque omnes hæreticos fuisse, dicit. At legendus est Cardinalis Norisius in Vindiciis Augustinianis, ubi S. Augustinum ab errore, quem ei morosi quidam Censores obtendebant, quod Animas ex traduce fieri dixerit, egregie defendit.

S. Thomam Doctorem nostrum Angelicum, S. Bonaventuram, & quotquot post Ugonem Victorinum ad hæc nostra usque tempora fuere Theologi, pro certo habuisse, & docuisse Animas quotidie creari, si quis ut ostendatur, posceret, similis ei foret, qui claro in meridie solem sibi ostendi postularet. Nullus igitur ex Patribus est, qui novitio de hominum origine systemati faveat, & patrocinetur, quilibet imo adversatur. Hoc propterea argumentum confici potest ex Patribus contra Neotericos: Omnes Patres adversus Origenem, quod & Wolfius fatetur, docuerunt Animas extra corpora & sine corporibus nunquam extitisse: Patres porro tanquam certissimum habuere, hominum corpora tunc solum fieri, quando humanum utriusque conjugis, aut Parentis semen in utero commiscetur; ut ex eorum Testimoniis colligitur. Ergo Patres id docuere quod novis Philosophis e regione oppo-

nitur. Argumentatio adeo obvia est, ut a nemine eludi possit, nisi PP. auctoritatem reiciendo. Patrum vero auctoritatem reicere Wolfii non est, qui summa semper veneratione, parique admiratione prosecutus est PP.; ut cuique ejus opera legenti obvium est ac manifestum.



CA-



CAPUT VIII.

Ex silentio S. Augustini *haud leve contra unam omnium hominum in Adamo creationem conficitur Argumentum.*

AQuilinum Doctorem firmiter credidisse, & constanter tenuisse novos quotidie fieri homines, etsi dubitaverit, utrum Animæ creentur ex nihilo, an ex traduce fierent, nemo est, qui hujus S. Doctoris scripta vel obiter legens, in dubium vertat. Hinc ipse haud leve argumentum deducere arbitror ad probandum Deum in prima rerum conditione omnes, & singulos homines cum Adamo una, & in Adamo non creasse.

Sanctus Augustinus huius novitiæ opinionis nunquam meminit, ergo vera non est. Argumentum *ἀρνητικὸν* quidem, seu negatiuum, ex iis vero, quæ aliquando juxta severioris critices leges validissima, & firmissima sunt, quod sic ostendo: Nemo

Nemo unus sive ex Patribus, sive ex Philosophis omnibus fuit, qui sagaciore ingenio, & subtiliore mentis acie a Deo donatus fuerit quam Augustinus, qui propterea per antonomasiam Aquilinus Doctor, seu *Doctorum Aquila, & divinitatis imago, sapientiæ abyssus, Pater Patrum, Doctorum Doctor, par Angelis fervore, & Prophetis Mysteriorum revelatione* a Possidio conclamatus est, cui denique *Cœlum ipsum sublimitate cogitationum penetrare concessum fuit.* Nemo porro Augustino diligentius, aut diutius Animarum originem investigavit, quæsivit, rimatus est. Quæstionem hanc nocturna versavit manu, versavitque diurna, nihilque intentatum omisit, ut, si fieri posset, sui cæterorumque hominum originem inveniret: In omnibus suis operibus adeo semper de ea anxius, & sollicitus; ut nihil fere scripserit, sive de libero arbitrio, sive de Spiritu & Anima, sive de Genesi ad litteram, sive de Incarnatione Verbi, cui de animarum origine aliquid non immiscuerit: Integros imo super ea re libros scripsit, ad Renatum, ad Petrum, ad Vincentium Victorem, ad Orosium, nec non contra Triscillianistas, & Origenistas, epistolas quoque dedit ad Marcellinum, ad Optatum: & licet esset Doctor, & Episcopus, non erubuit ab aliis ut discipulus addiscere, quod ignorabat, ab Hieronymo præsertim, quid ipse de Animarum ortu sentiret, postulans, & ab Optato anxie quærens quid Episcopi Cæsariensis Provinciæ super eadem re crederent.

Denique non ex levi animi curiositate quærebat Augustinus: sed onus incumbebat urgentissimum

mum id tandem aliquando inveniendi: agebat enim contra Pelagianos divinæ gratiæ hostes infensissimos, quibus nec eruditio deerat, nec disputandi vigor. Peccatum originale negabant pervicaciter Pelagiani, admittebat, & pro viribus tuebatur Augustinus: Utrinque pugnabatur perquam fortiter. Pressi Pelagiani vi argumentorum, quæ ex Scripturis, & Traditione, necnon ex ratione adducebat Augustinus, tandem devenere ad Triarios] quærentes, quomodo peccatum illud, cui nulla patebat via, ex Adamo ad posteros fuisset ingressum? *Non peccat iste*, (ita philosophabatur adversus S. Doctorem Julianus Pelagii discipulus) *qui nascitur, non peccat ille, qui genuit, non peccat ille, qui condidit, per quas ergo rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum?* Hæc erat difficultas Augustino per quam difficilis solutionis. Omnia egit; ut eam enodaret, at incassum: etenim si Animas ex nihilo quotidie fieri asserebat, integra manebat difficultas solvendi: si ex traduce, videbatur utcumque Pelagianis se facere satis. Non admodum enim difficile erat intelligere, quomodo peccatum originale ex Adamo in Filios transfundatur; at obstabat Hieronymus, & potior pars Catholicorum, qui singulas Animas seorsum ex nihilo fieri credebant: oportuna, ac tempestiva solutio, si dixisset, homines cum Adamo, & in Adamo fuisse creatos, qui una cum eo propria voluntate peccarint, Deique legem, & præceptum de non comedendo fructu violarint, atque ita ex Filiis Dei eodem tempore & ipsi filii iræ evaserint. Ita in hoc systemate transfusionem peccati originalis explicat Du-Vigerius. At

At tantum abest, ut ita Juliano reposuerit Augustinus, & argutantem adversarium adeo facili responsione compescuerit; ut imo desperato modo, quo originalis culpa diffunderetur, totus incubuerit; ut hujus dogmatis veritatem ex Scripturis commonstraret: *Quid quæris* (ita respondebat lib. 2. de Nup. & concup. cap. 28.) *latentem rimam, cum habeas apertissimam januam: per unum hominem, ait Apostolus, peccatum in hunc mundum intravit*. Non est igitur verum, quod jactitant novi Philosophi, Deum scilicet creasse in mundi exordiis cunctos homines: alioquin Augustinus *quo diligentius nemo*, ut ait Prudentius, *scripturarum abstrusa inquisivit, verius invenit, veratius protulit, luculentius enodavit, fidelius tenuit, robustius defendit, fusius disseminavit*, hoc perspectum habuisset, illudque adversus Pelagianos, quo eorum frangeret audaciam, usurpasset.

Si animarum originem Aquilinum Doctorem siluisse ais, earumque inventionem reservatam fuisse novorum Philosophorum industriæ; caveas quæso, ne adversus fulgentissimum Ecclesiæ Lumen, Patrem & Doctorem, quem ut observat Hieronymus *tanquam fidei conditorem universi Catholici venerantur, detestantur Hæretici*, Molinæ temeritatem imiteris, quem in venditando suo scientiæ mediæ commento ita scribere non puduit in concordia q. 21. art. 4. & 5. *Quæ* (scientiæ mediæ principia) *si data, explicataque semper fuissent; forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, & ad Pegianos defecissent, facileque reliquiæ Pelagianorum*

in

in Gallia fuissent exstinctæ.... concertationes denique inter Catholicos fuissent compositæ. Numquid per Deum Immortalem dicere possumus Animarum originem, atque hominum formationem invenire non potuisse Augustinum, qui diu in ea rimanda, atque investiganda totis dessudavit lacertis eam inveniendi necessitate pressus, id exigente Catholicæ fidei defensione: invenisse econtrario novos Philosophos, quos non fidei ardor, aut defensio ad eam scrutandam impulit, sed novitatis amor, & nova excogitandi prurigo? Credat hoc Judæus Apella.

Ergo unde nam hoc secundis avibus nacti sunt novi Pilosophi, nisi hercle ex eo, quod omnia corpora fuisse a Deo initio temporis creata invenerunt: at nonne & hoc Augustinum invenisse P. *Tonti* in suo opusculo de *rerum creatione*, & *Vallisnerius* cap. 14. de *ovis fæm. Vivip.* contendunt? (num vero Augustini mentem assecuti sint Reverendissimus Tonti, Illustrissimusque Vallisnerius, hic non expendimus: hoc unum nobis satis est, animadvertere Aquilinum Doctorem pro certo habuisse humana corpora fieri ex traduce: porro tradux, ut docet S. Thomas, quo nemo Augustini mentem melius compræhendit, duo importat, seminis nempe decisionem, & originem, quorum neutrum in corporum evolutione reperire est): itaque si S. Augustinus mente vidit, quod alii post tot secula Microscopiis detexerunt, in semine scilicet efformatum corpus, cur illud sua non donavit Anima, ut originalis culpæ transfusionem explicaret?

At inquies: quin tanti Doctoris nomini aliquid de-

detrahamus, fas est dicere, ideo Augustinum ignorasse hanc veritatem, quia in investiganda Animarum origine ad Scripturas solum, & Patres animum habuit, egitque ut Theologum, & Episcopum decet, parum aut nihil de Philosophia sollicitus, quemadmodum dari homines e regione, & in contraria parte Terræ, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia (Antipodas dicunt) inficias ivit, & non minus fictitios, atque imaginarios censuit, quam Centauros, & Sirenes Poetarum. Origo Animarum ex iis quæstionibus est, quæ melius a Philosophis versantur, quam a Theologis, & felicius ratione, quam fide enodantur.

Pape quam belle, quasi Augustinus quo doctior in rebus Divinis, eo indoctior fuerit in humanis, qui in utroque genere excellentissimus fuit. Satis obvia sunt ejus opera, omnibusque prostant, in quibus quidquid Philosophi omnes invenire potuerunt, quidquid Socrates, Plato, Aristoteles, Zeno, Pythagoras, Democritus, quidquid denique Geometræ, Geographi, Poetæ, Rhetores, Grammatici usque, uno verbo quidquid sapientiæ, atque eruditionis Græcia protulit, & Latium, mirum in modum elucet, ut non temeritatis, sed insaniæ sit, S. Augustinum in rebus Philosophicis parum versatum fuisse imaginari, aut minus diligentem in solvendis rebus difficilimis, quæ a ratione, atque ingenii acumine unice pendent, & quarum solutio magno emolumento fidei Catholicæ esset, & non solutio detrimento non exiguo.

Nec jurat Antipodum inficiatio, cum nec in fa-

sacris, nec in profanis litteris aliquid certi ea de re tunc haberetur, sed conjecturis dumtaxat Antipodas esse quidem ex Veteribus adstruxerint, repugnantibus aliis, & fortassis doctioribus.





CAPUT IX.

Reprobatur amplius recens systema auctoritate Doctorum Scholasticorum, & Juris Pontificii peritorum.

BEne habet, sex locis, qui proprii Theologiæ sunt, novum systema discussimus: superest, ut reliquis quatuor, quos extraneos vocant, illud exagitemus, auctoritate videlicet Doctorum Scholasticorum, quibus adiungi solent Juris Pontificii periti, ratione naturali, Philosophorum, qui naturam ducem sequuntur, testimoniis, & Cæsarei Juris Consultorum, auctoritate denique humanæ Historiæ per Auctores fide dignos scriptæ: non quod his Theologia indigeat, abunde enim ex suis principiis commonstravit hanc Philosophorum opinationem commentum esse Poeta dignius, quam Philosopho; sed ut plæna undequaque sit argumentis tum intrinsecis, tum extrinsecis Theologica hæc dissertatio.

A Doctorum Scholasticorum auctoritate paucis nos expediemus; lippis quippe, & tonsoribus notum est, Scholasticos omnes hujus semper fuisse sententiæ, ut crederent, Deum post septimam diem, qua a mundi opificio requievit, novas semper res producere, nedum olim factas regere juxta illud Joannis 6. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor :* enim vero nemo est, qui vel per somnium putet, Scholasticos Doctores secutos fuisse errorem Origenis de præexistentia Animarum, cum eorum munus sit positis fidei veritatibus argumentari, nihilque novi adferre, quod Orthodoxæ fidei repugnet: certissimum quoque est, neminem ex Doctoribus Scholasticis fuisse, qui novas quotidie fieri substantias, & Animas sive ex traduce, sive ex nihilo veniant, corporibus suis in utero matris efformatis mox infundi non dixerit; ut si quis per otium eorum opera, quæ nec exigua, nec pauca sunt, evolvere voluerit, compertum habebit.

Quanti vero facienda sit hæc Scholasticorum Doctorum auctoritas, docet *Melchior Canus* lib. 8. de *locis Theologicis* cap. 4. ubi ex Auctorum omnium Scholasticorum sententia in re quidem gravi usque adeo probabilia sumi argumenta affirmat, ut illis refragari temerarium sit, quod post quam egregio exemplo Concilii Viennensis comprobarit, subiungit: *cum inter ipsos Theologos Scholasticos magna fere ubique dissensione certetur, ita ut in hac parte jure forsitam repræhendantur, certe non idem omnes assererent, nisi eodem divino Spiritu permoverentur; nec minus mirandum est varias Scholæ factiones, doctoresque tam inter se discre-*

pan-

pantes in unam eamdemque sententiam convenisse ; quam LXX. interpretes diversis, ut ferunt, cellulis inclusos in unam eamdemque convenisse interpretationem. Non igitur poterit esse verum illud, quod Scholasticorum Theologorum Choro idem concinenti fuerit contrarium. Præsertim si inter Scholasticos, post duos Ecclesiæ Doctores Angelicum, & Seraphicum, Thomam, & Bonaventuram enumeres Petrum Lombardum, Albertum Magnum, Ægidium Columnam Joannem Scotum, & alios Sacræ Theologiæ lumina præclarissima.

Scholasticis Doctoribus juris Pontificii peritos adiungere jubet Melchior, quia ut ipsemet animadvertit, hujus doctrina quasi ex altera parte Scholasticæ Theologiæ respondet. Quod ut præstemus non privatos aliquos Juris Pontificii peritos contra Philosophos, sed ipsummet Jus Canonicum adducemus:

Quæritur in *Decreto* lib. 5. tit. 10. de homicidio rub. 8. *de procurantibus abortum*, juxta novam Cardinalis *a Turrecremata* ordinationem, & XXXII. quæst. II. c. 3. juxta veterem Gratiani, *utrum hi, qui abortum procurant, homicidæ sint?* Juris solutio est, homicidas non esse; si abortus contingat, antequam Anima infusa sit corpori, quæ infusio fieri solet post dies 40. a feminis susceptione. Hæc Juris solutio falsa omnino foret, & ridicula, si humanum semen a mare in fæminam corpus animatum, ipsumque efformatum hominem defferret, ut novi Philosophi suadere student: en Juris verba:

Quod vero non formatum puerperium, noluit ad homicidium pertinere, profecto nec hominem depu-

putavit, quod tale in utero geritur. Hic de Anima solet agitari, utrum quod efformatum non est, nec animatum quidem possit intelligi? & ideo non sit homicidium, quia nec exanimatum dici potest, si adhuc Animam non habebat. Item. Si ergo illud informe puerperium jam quidem fuerat, sed adhuc quodammodo informiter animatum, quoniam magna de Anima est quæstio, non est præcipitanda indiscussa temeritate sententiæ; ideo lex noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest Anima viva in eo corpore, quod sensu caret.

Hæc Verba, quæ ex Augustino dessumta sunt si paullulum expendantur, manifeste significant, omnis falsitatis plenam esse, & ad aniles fabulas amandandam Du-Vigerii, Leybnitzii, & Wolfii opinionem. *Magna hic agitur de Anima quæstio indiscussa temeritate sententiæ non præcipitanda*, & tamen lex non vult ad homicidium pertinere ea ratione, *quod nondum dici potest Anima viva in eo corpore, quod sensu caret.*

Moyses tradidit (pergit Jus): *si quis percusserit mulierem in utero habentem, & abortiverit. Si formatum fuerit, det Animam pro Anima, si autem informatum fuerit, mulctetur pecunia; ut probaret non esse Animam ante formatam: itaque si jam formato corpori datur, jam in conceptu corporis nascitur cum semine derivata: nam si cum semine & Anima existit de Anima, multæ Animæ quotidie pereunt, cum semen fluxu quodam non proficit Nativitati: sed si propius respiciamus, videbimus, quid sequi debeamus. Contemplemur facturam Adæ. In Adam enim exemplum datum est, ut ex eo intelligatur, quia formatum corpus accipit Animam: Nam*

poterat Animam limo terræ admiscere, & sic formare corpus, sed ratione infirmabatur; quia primum oportebat domum compaginari, & sic habitationem induci. Anima certe, quia Spiritus est, in sicco habitare non potest, ideo in Sanguine fertur habitare. Cum ergo visus delineamenta compacta non fuerint, ubi erat Anima? Ita Hieronymus ad Algasiam.

Sicuti semina paulatim formantur in utero, & tandiu non reputatur homo, donec elementa confecta suas imagines, membraque suscipiant, ita sensus ratione conceptus, nisi in opera proruperit, adhuc in Ventre retinetur, & cito perit ab bestie. Idem habetur in Decretalibus *de homicidio voluntario, vel casuali* cap. 20. *sicut ex litterarum vestrarum tenore.*

Innocentius Papa III. consultus, & interrogatus a Priore, & Monachis Carthusiensibus, num permittere possent cuidam ex suis, qui in causa fuit, per jocum licet, & non ex animo, quod fæmina abortiverit, Altari ministrare, vel celebrare? respondet: *nos vero devotioni vestræ insinuatione præsentium respondemus; quod si nondum erat vivificatus conceptus, ministrare poterit, alioquin debet ab Altaris officio abstinere.* Clarum est itaque Jus Canonicum pro certo habere homines non fuisse in Adamo creatos, sed quotidie creari.


Nec dicas aliter legi in Scriptura cap. 21. v. 22. & 23. videlicet: *Si rixati fuerint Viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & Arbitri*

ju-

judicaverint : Sin autem mors ejus fuerit subsecuta reddet Animam pro Anima . Ita Vulgatus interpres , qui a primigenio textu dissonare non videtur וכי ינצו אנשים ונגפו ישה הרה ויצו ילדיה ולא יהיה אסון ענוש יענש כאשר ישית עליו בעל האשה ונתן בפללים: ואם אסון יהיה ונתתה נפש תחת נפש: idest : *Et cum percusserint Viri mulierem pregnantem, & egressi fuerint Filii ejus , & non erit mors , mulctando mulctabitur , sicut imposuerit super id Vir mulieris & dabit in juditio , & si mors fuerit , dabitur Anima pro Anima*. Hic profecto nec verbum quidem de fætu animato, atque inanimato est , sed tantum de morte, & vita mulieris prægnantis , aut filiorum ejus , qui ex ea percusione immature nascuntur.

Nam etsi ea primigenii textus verba aliter vertisse videatur Vulgatus interpres; LXX. tamen vocem illam אסון pro fætu perfecto, atque animato intellexerunt, & exacte juxta id, quod in capite *Moyses* legimus , Hebraicum textum interpretati sunt: *ἐὰν δὲ μάχωνται δύο ἄνδρες, καὶ πατάξωσι γυναῖκα ἐν γαστρὶ ἔχουσαν, καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον, ἐπιζήμιον ζημιωθήσεται. καθότι ἂν ἐπιβάλλῃ ὁ ἀνὴρ τῆς γυναικὸς, δώσει μετὰ ἀξιώματος. Ἐὰν δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ, δώσει ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς*. videlicet: si puer formatus non fuerit *μὴ ἐξεικονισμένον* idest sine Anima ; solvet ad arbitrium mariti: sin autem fuerit *ἐξεικονισμένον* idest formatus atque Anima rationali donatus ; ut reus homicidii mor-

te moriatur. Utra ex his interpretationibus primigenio textui conformior ſit, prior, an poſterior, Vulgati interpretis, an τῶν LXX. perinde de nobis eſt, qui non ex Scripturis hoc in loco argumentamur, ſed ex Jure Canonico quod dum ita intelligat, ſatis ſuperque nobis eſt, quin contentionis funem cum Theologis Biblicis, & Sacrarum litterarum interpretibus ſuper Moſis ſenſum ducamus. Poſſumus itaque & ex hoc loco concludere, & definire, omnes, & ſingulos homines non fuiſſe in Adamo una creatos, ſed ſingulis ferme diebus eorum corpora intra materna viſcera efformari, moxque Animas recens creatas eis infundi.



CA-



CAPUT X.

Nulla ratio naturalis *novo systemati suffragatur.*

AD id tandem ventum est, ubi conlato pede cum Philosophis certandum est, atque pugnandum propriis eorum armis, evidentia videlicet naturali, cui dogmata sua immota consistere venditant. Hæc in præsentia examinanda est atque utcumque expendenda, ut si forte fortuna nobis potius, quam Philosophis super hominum origine, vel tantillum favere depræhendatur, triumphum de illis reportasse merito gloriemur.

Duo sunt, quæ potissimum Philosophi animum occupant, atque in eo evidentiam generant, ratio scilicet, & experientia: quando nimirum ex principiis obviis, & claris vi discursus, atque argumentationis id evidenter colligit Philosophus, quod prius dubitanter solummodo noverat, aut pænitus ignorabat: vel quando principia, & caussæ non admodum claræ sunt; ut certo inferri possit, atque evidenter, quod quæri-

 tur

tur; præsto tamen adest experimentum aliquod, in quo veritas effectus splendeat. Alterutrum ex his duobus satis est Philosopho, ut veritatem se invenisse arbitretur. Nos utrumque nostris Philosophis deesse commonstrabimus; ut inde appareat inconditas fabulas narrare, qui dicunt, Deum, cum primum mundum creavit, cunctos etiam homines animabus, corporibusque suis donatos in Adamo efformasse.

Principium illud (ad rationem primo veniamus), cui Philosophi recentiores Poliporum adinstar super hac quæstione adhærescunt, est *generationis substantialis* impossibilitas. Quod principium adeo verum putant, ut ejus probationem otiosi hominis esse velint, & in oppositum mussitare Peripateticorum delirium: ex hoc principio ipsis inconcusso inferunt statim, sapientissimum Numen, cunctarumque rerum Opificem Deum creasse in mundi exordiis quotquot sunt, fuerunt olim, & erunt deinceps homines. Quæ argumentatio utroque pede claudicat. Primo enim quamvis demus impossibilem prorsus esse novarum substantiarum genesim, quod hactenus probatum non est, quid inde? ergone Deus initio mundi omnia, & singula corpora efformavit, omnes, & singulas Animas creavit? Hanc consecutionem centum juga bovum, si ducerentur, non traherent; nam & Cartesiani, & Gassendistæ æque novas gigni substantias inficiantur, & tamen nec somniantur quidem id inferre: ex particularum triplicis elementi, aut ex diversa corpusculorum positione nova quotidie fieri corpora substinent, & juxta ea, quæ semel posuerunt principia, non in-

Invenufte explicant. Deinde cur nova corpora fieri non poffunt?

At inquiunt: qui fieri poteft, ut a vi plaftica, quæ cæca facultas eft, omnifque cognitionis expers, opus adeo elegans, quale eft humanum corpus, quod eft infinitæ fapientiæ opus, tam facile elaboretur? Undenam didicit vis Plaftica artem hanc excellentiffimam tam exacte difponendi rudem materiam, ut eam neat in fibras extenuet in membranas, nectat in nervos, excavet in venas, extendat in pelles, diftillet in humores, animet in fpiritus, compingat in carnem, atque in offa confolidet? & poftquam hæc omnia egerit, fuis quæque ita aptet locis, ut tanta talifque exurgat machina, cuius partium ordinem, fimetriam, atque officium nec doctus Anatomicus exponere, nec differtiffimus Rhetor dicere, nec fapientiffimus Philofophus agnofcere valeat: uno verbo quomodo a cæca facultate ignaviffimi homuncionis id fit, quod mortalium nemo, quantumvis ingenio præftantiffimus improbo labore fummaque induftria vel horride adumbrare, aut pingui, ut aiunt minerva, informare poteft.

Omnia bene, at quis eft per fidem Numinum, qui tantum tribuat cæcæ facultati, ut ea fit in efformando humano corpore lex, norma, & princeps cauffa? Quum dicunt veteres Philofophi, et recentiores mechaniftæ ex vario particularum motu corpus naturaliter fieri, fapientiffimi Artificis manum agnofcunt, & plafticam illam vim, aut particularum motum omnipotentis Dei in qualibet re fapientiffime operantis inftrumentum effe

esse volunt, ita ut *dum fæminæ semen recipiunt, receptum fovent, confotum corporant, corporatum in membra distinguunt intra illas secretas Ventris angustias Dei manus operetur, idemque corporis & Animæ creator*, ut inquit Hieronymus.

Nec video cur Deo negare possint novi Philosopi, quod eam vim semini immittat, aut immittere possit, quam deinde ea actione, qua cuncta operatur, ita excitet, atque adiuvet, ut juxta leges ab ipso statutas in talibus temporis, & loci circumstantiis sensim, & gradatim humanum corpus elaboretur. Cur hoc Deo impossibile? D. Thomas, cuius mens Angelica fuit, atque in his penetrandis cæteris acutior, non solum id impossibile Deo non esse, sed id exigere divinam sapientiam docet: finis quippe sapientiæ Divinæ, ut ipse philosophatur, est in rerum productione manifestare, & communicare suas perfectiones: unde non solum dat creaturis, ut sint, verum etiam ut operari posint, sicut ipse est, & operatur. In Deo porro duplex est operatio una scilicet, qua intus se cognoscit, & diligit, alia, qua extra res sibi aliquatenus similes producit; priorem dat substantiis spiritalibus, quo & se agnoscant, & diligant; posteriorem substantiis corporeis, quo sibi similes substantias generent. Quod adeo verum est, ut nisi, vim hanc producendi sibi simile posset Deus communicare rebus creatis, jam subtraheretur ordo caussæ, & caussati in rebus, quod pertinet ad impotentiam creantis.

Sed pressius novos Philosophos urgent substantialis geneseos assertores, & Patroni exemplo nutri-

tritionis. Animantium corpora, inquiunt, quotidie ali, & nutriri nemo nescit: nutritionem porro æque infinitæ sapientiæ opus esse conspicuum est. Etenim animalium corpora, quæ ob exiguitatem visum fugiunt, ad tantam, talemque molem, corporisque magnitudinem ducere, quanta necessaria est, ut congruenter vivant, cæcæ facultati, ignavæque virtuti adscribi nequit, quæ cibum primum ore sumtum, ibique dentibus contritum, & comminutum in stomachum communem officinam deferat, hic veluti in lebete, cui ignis sunt cor, jecur, lien, aliæque partes vicinæ alterno ipsius stomachi, diaphragmatis;, & abdominis motu mirum in modum concoquat, atque in massam quandam fluidam albicantem (chylum) convertat; eductum deinde e stomacho chylum per fluctuosos intestinorum flexus lento motu deferat, atque interim quod crassius est, atque excrementitium deorsum ad crassiora devolvat intestina, forasque ut inutile per anum emittat; ut interim quod purius, & defecatius est, a venis lacteis exugatur, hisque impellentibus per venam majorem, quæ porta dicitur, ad Jecur deferat, ubi filtretur, & colorem rubrum induens fiat sanguis; unde & hæmatosis hæc in Jecore commutatio dicta est, ut in variis deinde receptaculis expurgatus, ac percolatus cavam magnam ingrediatur, quæ pergrandis vena est diversis ramulis toto corpore diffusa, per quos sanguis excurrat, & postquam minutissimas venas, capillares dictas subierit, atque ex eis excedens, aut per ipsarum poros affluens se se per quaslibet viventis partes insinua-

nuaverit, ipsum alat, & nutriat; hæc omnia quantum studii, atque industriæ opus habeant vix intelligi potest. Porro in hac nutritione fieri substantiæ conversionem, seu alimentum in substantiam, & naturam corporis, quod alitur, converti, nonnisi ad arbitrium potest quis inficiari ipso communi sensu repugnante.

Fuerunt olim, ut Magister sententiarum, Petrus Commestor, Ugo Victorinus, aliique, qui id suadere conati sunt, rati quidquid pertinet ad veritatem humanæ substantiæ, totum fuisse in Adamo, a quo postea derivatum sit in genus humanum, & in singulos homines longa generationum serie minutim distributum; nec ad aliud propterea inservire alimentum, quam ad fovendum, nutriendumque calorem naturalem. At horum opinio experientia, qua quotidie videmus humana corpora, uti & cæterorum animantium, nutritionis beneficio fieri vegetiora, & corpulentiora, subtracto vero alimento sensim extenuari, & paulatim perire, erroris, & falsitatis evincitur. Profecto nisi ex alimento nutritionis arte converso subrogarentur novæ partes, humanum corpus non solum non augeretur, sed quam cito corrueret: præterquamquod si totum id, quod de substantia in hominibus est, ex Adami substantia singulis minutim distributa haberetur, hactenus jam substantia humana evanuisset in tot tantosque homines divisa, & partita: nisi dicere velimus substantiam nostram corpoream quotidie tenuiorem, ac subtiliorem fieri; sicque corpora hominum, quo provectioris sunt ætatis, eo sunt imperfectiora, ut animadvertit Angelicus 3. p. quæst.

quæſt. 119. art. 1. & majus corpus minus ſubſtantie habet.

His conſtitutis ita philoſophantur, qui ſubſtanſtialem geneſim propugnant: nutritio non minus, ac generatio infinitæ ſapientiæ opus eſt: in nutritione porro fit quotidie unjus ſubſtantiæ in aliam converſio, quidni ergo etiam fiet & corporum generatio: ut quamadmodum licet cæca ſit vegetandi facultas, adeo tamen eleganter corpus nutrit, atque alit, ita quoque quamvis cæca ſit, & rationis expers vis plaſtica, gignere poterit novas ſubſtantias.

Hæc perbelle, inquiunt, at contrarium ſuadet experientia, qua in ſemine animalis ipſum animal conſpicitur. Viri namque graviſſimi, omnique fide digniſſimi, atque in Philoſophicis diſciplinis, Anatomiciſque obſervationibus exercitatiſſimi, ut Leevvenoekius, Dalempatius, & alii quamplurimi in ſeminis gutula arenæ granulum non excedente narrant, ſe depræhendiſſe ope microſcopii tot animalia, quæ vix imaginatione fingi poſſunt, quorum qualibet totam corporis ſubſtantiam in ſe contineret.

Bona verba ſane, quibus reſpondere facillimum eſſet: horum experimentorum fides ſit apud auctores ſuos, cum Viri æque graviſſimi, omnique fide digniſſimi, atque in Philoſophicis diſciplinis, anatomiciſque obſervationibus exercitatiſſimi ea in dubium vertant. Dn. Lambzvverde in præf. Hiſtoriæ naturalis *molarum uteri* ita microſcopiorum fallacias inſinuat: *in illis*, inquit, *plura agnoſcimus, quam ſenſus determinat: nam etiam viſus microſcopio armatus fallit, adeoque non condeſcen-*

 di-

dimus cum istis, quorum curiosa caecitas rerum substantias adeo penetravit, ut in Vino serpentes, quo meliore, eo plures videant, quorum impia experientia in faecundo humano semine caput Ursi describit, aliaque absurda vitreis intuentur oculis, quae tanta Animi contentione tuentur adeo pertinaciter, ut si non amplectiaris Jovi Caelum eripere videaris, ubi minimarum particularum figurae magis ratione, quam sensu determinandae sunt, verum in illa materia non plus est sapiendum, quam a Deo datum est: nam haec vox naturae, quod intellectus finitus infinitas infiniti Entis potentias capere nequeat, ultra quam regulam qui volet, praestaret mutum esse.

Verum enim vero si juxta monitum Viri eruditissimi, totique literariae Reipublicae notissimi Francisci Redi apud Vallisnerium non unum, vel alterum, sed duodecim ad minus neccessaria sunt experimenta, eaque omnia clarissima, evidentissima, semperque uniformia; ut quid ex illis tamquam verum concludatur: quis non videat facile quaecumque experimenta reici posse, quae vix semel, bis, aut ter, nunquam tamen uniformiter confecta sunt?

Quoniam vero cum Medicis, qui vitae, & mortis nostrae arbitri sunt, contendere nolumus, quaecumque propterea hi se vidisse narrant, pro visis habemus. At quid inde, num Animalcula, quae observarunt, ab initio mundi creata sunt? num adeo gnari archeismi sunt; ut omnes antiquitatis charateres, canos crines, corrugatamque frontem deprahenderint, aut quaecumque deinceps nascitura sunt ipsis inclusa observarunt? minime

nime gentium; etiam ſi centum, aut mille conſpicilla naſo imponant.

Leevvenoekius, qui nulli in his obſervationibus ſecundus fuit, in epiſtola ad Regiam Societatem die decimatertia Junii MDCLXXXVI. ſcripta in uno tritici grano tres tantum plantas cum foliis, & radicibus ſuis diſtinctè ſe vidiſſe narrat, *& ſingulum ſecalis granum quatuor principiis recentium plantarum inſtructum eſſe:* atque in alia epiſtola die 11. Julii ejuſdem anni data, *in præcedenti mea*, inquit, *epiſtola dixi, me in uno hordei grano quinque diſtinta plantarum principia obſervaſſe: notum vobis facere omittere neqneo, me poſt illud tempus hordei obſervaſſe grana, in quibus ſeptem plantarum principia obſervabam, ac inter multa unum habebam hordei granum, in quo octo diſtincta plantarum principia obſervabam*. En quid videre poſſunt ope microſcopii, ſcilicet tria, vel quatuor, & ad ſummum ſeptem, vel octo, non plantas ſed plantarum principia, an vero alia his includantur, microſcopium non exhibet. Ita ſimiliter loquendum eſt de Animalculis, quæ in ſemine viſuntur, intra quæ nihil depræhendi poteſt. Ut vero ex hoc experimento concludi poſſit aliquid in favorem novi ſyſtematis, adhuc probandum manet ea Animacula, aut plantas, quæ microſcopio in ſeminibus viſuntur, recens effecta non fuiſſe, aut genita, quod probabunt, quando paſcentur in æthere cervi.

Adferam ego unum tantum miſſis cæteris apud noſtrates Philoſophos videndis experimentum in contrarium, quod ut quis videat, nec microſcopio opus habet, nec conſpicillis, Aſinum vi-

delicet ex equa mulum generantem; cujus experimenti fertur a Rabinis primus inventor fuisse quidam Ana Filius Sebeon & Pater Oolebima Uxoris Esaù, qui equarum greges, ut refert S. Hieronymus, fecit primus ascendi ab Asinis; ut mulorum inde nova contra naturam animalia nascerentur: sic vocem illam הימים *Haiemin*, quam Vulgatus *aquas calidas* vertit, mulos imterpretantur Rabini. Si in primo Asino Deus posuit omnes Asinos, qui fœminarum utero excepti in ea postea, quam a Deo habuerunt, forma nascerentur, quin fœminæ aliquid tribuant ex sui substantia ad eorum corpora efformanda; profecto ex Asino nonnisi Asinus nasci debet, sive asina, sive equa sit fœmina, quæ parit: cur mulus equæ similior, quam asino? muli, cui non est intellectus, quotidianum, semperque uniforme experimentum satis docet, Deum non posuisse in primis Animantibus cuncta Animantia, nec proinde in primo homine omnes, & singulos homines, sed quemadmodum ex substantia asini, & equæ tertium genus nascitur, mulus; ita (paritatem non dedignentur; in oc enim Animalia cuncta, sive rationis expertia, sive ratione prædita conveniunt) ex substantia Viri & mulieris humanum quotidie elaboratur corpus.



CAPUT XI.

Philoſophi *tum veteres, tum novi ſtant ex adverſo Du-Vigerio Leybnitzio, & Wolfio.*

DIes, vireſque me deficerent, ſi omnes, & ſingulos Philoſophos, qui ſuper hominum creatione contra *Du-Vigerium*, *Leybnitzium*, *& Wolfium* adverſis ſtant veſtigiis, in medium adferre vellem: miſſis igitur omnibus Veteribus, de quorum mente nec ſuſpicari quidem fas eſt, Recentiores fere omnes in ea invenio ſententia; ut homines quotidie præſertim quoad Animam a Deo produci, & creari credant. *Sbaralleas*, *Venettus*, *Bonanus*, *Lamy*, *Mery*, &c. non ſolum Animas, verum & corpora ipſa, quibus infundantur, quotidie fieri ſubſtinent; illi vero qui nihil de novo fieri, ſed omnia olim facta fuiſſe, & tantum nunc exſolvi, ſuiſque involucris extricari putant, Animas tamen non olim factas, ſed in diem fieri, poſtquam corpora,

ra, quibus infundi debent, satis evoluta sunt, ut vitæ functiones peragere valeant, pro certo habent.

Qui spermaticos Vermes existimant esse humanæ generationis exordium, & si eos revera vivere asserant, Anima tamen intellectuali, seu humano spiritu præditos esse, nolunt; ac vix unus, vel alter est, qui affirmare audeat: ad summum vitam sentientem, quæ Vermes deceat, in ejusmodi Vermibus agnoscunt: neque Dalempatius, quo nemo fidentius Vermibus illis Animam rationallem adjudicare potuisset; propterea quia non Vermes, sed Homunculos omnibus suis instructos membris sub Vermium velamine ipsemet vidit, eo devenit, ut eis Animam rationalem inesse putaverit.

Qui vero ex ovo hominem nasci auctumant, tantum abest, ut in involutis corporibus vitam a mundi exordiis inesse putent, ut imo tempus ipsum, quo fætus in ovo reconditus primum vivere incipit exacte designent, punctumque saliens, que motus, vitæque in fætu initium est, nonnisi post susceptum maris semen fieri, conceptis verbis docent, nimirum postquam Viri semen, qua parte datum est, ovum intrarit, & se se inter partes moleculæ insinuarit, eas vellicarit, & titillarit', humoresque exagitarit, tunc systolis, & diastolis motus, punctum Saliens dictus, exorditur, qui semel inceptus haud amplius cessat, quandiu homo aut Animal vivit.

Verum si alcuius Philosophi, qui hoc manifeste dicat, testimonium quæratur, unum præsto mihi est ex Vallisnerio depromtum, quo majus an in-

inveniri possit, prorsus ignoro. Vallisnerius Academiæ Patavinæ lumen, & decus, cuius opera cum naturalis Philosophiæ tum medicinæ pari voluptate, ac admiratione legunt Eruditi, aperta fronte Leybnitzio, cujus nihilominus impense laudat ingenium, in hac omnium hominum una simul in Adamo creatione se se opponit, adversaturque: ita namque cap. 14. secundæ partis de *ovis fœmin. Vivip.* scribit.

Creò Iddio tutta l'umana stirpe in quel primo punto ne' primi nostri Padri, ma in maniera tale che il corpo solo dell'uomo dall'uomo, come il seme dall' altro seme si propagasse, avendo inserito l'uno nell' altro, e l'altro nell'altro, come grana ne' suoi alveoli rinchiuse, da svilupparsi nel lungo giro de' secoli, dentro il quale a suo luogo, e tempo, così portando le disposizioni dell'organo, l'Anima creata da Dio, fosse inspirata, e ciò non per forza d'alcuna naturale disposizione, ma per imperio della volontà Divina, che decretò sin dall'ora d'introdurre tante anime in tanti corpi in tali circostanze di tempo, e di luogo. Pertanto la temporanea creazione dell'Anima quantunque sia opera di Dio creatore, *si debbe dire anche opera* di Dio Aministratore*: imperocche crea quella con la sua volontà, non a capriccio d'alcuno, con la quale sino dal principio del Mondo di crearla dispose.*

Ma queste sono cose (pergit illustris Vallisnerius) *che troppo avvanzano l'intendimento mio, e nelle quali, come in uno Scoglio ruinoso facilmente s'urta, e si rompe, ne per quanto il Chiaro Leibnizio mi pregasse, e mi facesse pregare per l'amico mio dottissimo Sig. Bourguet,* a scrivere dell' Anima,

non

non ho mai avuto coraggio, nè voluto prender pena per farlo, contentandomi di sapere quel poco che palpo, e veggo, nè avendo l'animo sì ardito, che voglia alzarsi a volo in quegli oscuri impenetrabili abissi, nè così vasto che abbracciar voglia le cognizioni del primo tempo, giudicando meglio, e più sicuro, con la fronte sommessa, e riverente di cose sì alte, e tenebrose tacere che troppo curioso cercare, e col S. Dottore (Agostino) *meco stesso dicendo:* Capiat, quod potest in quamtum potest; & qui non potest, nutriat cor, ut possit.

Et quasi hæc satis non essent, nisi Leybnitzii opinationem utcumque exagitaret, subiungit: *In quanti laccivoli, e trappole, per voler saper troppo, sono cadute anime illustri, elette per altro a magnanime imprese, e a dar gloria e fama alle Lettere, ed ai Filosofici Studj? Quanto bella, quanto ingegnosa la Nobil Teodicea del suddetto valente Scrittore sarebbe, se non avesse voluto pensar troppo libero, e tentato penetrar troppo addentro negli arcani profondissimi della Creazione? Quel volere che il nascere delle anime nostre fosse anch'esso uno sviluppo, e che tutte create fossero in un colpo, e ne' suoi organetti rinchiuse, i quali strigandosi col tempo, dassero campo anche all'anima di strigarsi, anzi che i pensieri stessi che facciamo, o tante nobili produzioni di mente fossero anch'esse tutte inviluppate, e che di giorno in giorno, conforme le occasioni, e i modi pian piano sviluppando si vadano, di maniera che nulla in questo Mondo, nè meno immateriale, si crei di nuovo; ma tutto solo col tempo si manifesti, e sensibile si renda, è un voler troppo sapere, dove poco, o nulla saper*

saper possiamo. Ma di così arduo, e lubrico argomento abbiamo parlato assai. Quæ verba latinis auribus ita sonant:

Creavit Deus totum humanum genus eo primo temporis instante in nostris Proto-parentibus; ita tamen, ut solum hominis corpus ex homine, sicut unum semen ex alio semine propagaretur: eo quod unum inseruerit in alio granorum adinstar, quæ suis inciduntur alveolis longo postea temporis tractu evolvenda, intra quod prout exegerit corporis dispositio, Anima a Deo tunc creata inspiraretur, & hoc non vi alicuius materialis dispositionis, sed divinæ Voluntatis imperio, quæ ex tunc tot Animas, in tot corpora, atque in talibus loci, & temporis circunstantiis introducere decrevit. Quapropter diurna Animæ creatio licet Dei Creatoris opus sit, dici quoque debet opus Dei administratoris, propterea quod non eam arbitratu alterius creat, sed pro sua voluntate atque arbitrio, prout a mundi exordiis decreverat.

At hæc ex iis sunt, que captum meum superant, & in quæ velut in syrtim impingit, frangiturque intellectus meus: nec ullis Viri Clariss. Leybnitzii, neque Amici mei doctissimi Dn. Bourguet pro Leybnitzio precibus ut de Anima scriberem, ausus sum, nec manum calamo admovere volui cum satis mihi sit, ea tantum scire, quæ attrecto, & video, nec adeo audax animus mibi est, ut convolare velim ad illas obscuras abyssus, quæ penetrari neutiquam possunt: neque tantæ extensionis; ut primi temporis notitias amplecti velim: melius ac tutius judicans submisso capite res adeo altas, & reconditas silentio humiliter litare; quam imprudenti cu-

riositate investigare, atque una cum S. Doctore tacite dicens: capiat, quod potest, inquantum potest, & qui non potest nutriat Cor, ut possit.

In quot casses, atque insidias, ex proritu, & libidine, plus quam decet, sciendi inciderunt nobiles Animi, ad res maximas literarum, & philosophicorum studiorum gloriam nati: o quam pulcra, atque industriosa esset; laudati Scriptoris (Leybnitzii) *Theodicæa nisi fidenter nimis profundissima creationis mysteria penetrare tentasset. Opinari enim Animarum nostrarum nativitatem puram putamque extricationem atque evolutionem esse, omnesque simul creatas suisque infusas fuisse organis; quæ tempore se se expedientia Animæ quoque se se extricandi locum darent. Ipsæ imo cogitationes, quas nunc elicimus, totque nobiles mentis conceptus usque involutos fuisse, atque de die in diem evolvantur; ut nihil prorsus in hoc mundo nec immateriali quidem de novo creetur, sed omnia duntaxat temporis spatio manifestentur, fiantque sensibilia, imprudens sciendi ardor est, ubi modica scire possumus, &c.* Hæc Vallisnerius.

Nec mihi quis dicat Vallisnerii auctoritatem in hac re nutare, & suspectam esse; quod Leybnitzius vermes masculino semine innatantes, ut humanæ generationis principia defenderet, Vallisnerius econtrario pro hominis initio ova fæminarum posuerit: unde ille in Adamo, hic in Heva homines creatos fuisse dicebat. Nam licet in hoc a Leybnitzio discrepet Vallisnerius; perinde tamen erat pro statuendis Animabus simul creatis, sive illarum creatio facta fuerit in Adamo, sive in Heva: unde ex hoc capite Vallisnerii

nerii auctoritatem, atque testimonium infirmare puerile est.

Juris prudentum auctoritatem adducere superva caneum puto. Atenim, ut Cæsarium Jus omnesque Juris-prudentes nobiscum esse dicamus, satis est lex illa sub numero XXVI. digest lib. XLVIII. tit. XIX. de penis, qua cautum est ne filius ob Patris crimen puniatur: *Crimen, vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest. Nam unisquisque ex suo admisso forti subiicitur: nec alieni criminis successor constituitur*. Hæc lex undequaque æquissima mirum quam sæpe violaretur: quotiescumque enim reus aliquis morte plectitur, una cum eo filii omnes, ejus lumbis inclusi morte afficerentur, ut patentissimum est: cunctique Judices, qui mortis sententiam ferunt, non unum tantum reum supplicio damnant, sed multitudinem fere infinitam innocentum, qui necdum lucem aspexerunt.





CAPUT XII.

Ex Antilogiis humanæ Hiſtoriæ *novi ſyſtematis falſitas evincitur.*

QUandoquidem veterum teſtimonia adeo ſubleſtæ fidei ſunt in hac re, ut ea fabularum loco habeant Recentiores, rati ordinem illum:.... *aurea*

Prima ſata eſt ætas, ſubiitque argentea proles
Auro deterior fulvo præſtantior ære.
Tertia poſt illam ſucceſſit ahenea proles.
. de duro eſt ultima ferro.

In ſcientiis inverſum eſſe, ut prima ætas ferrea fuerit; poſtema aurea. Ita Abbas *Maſilius* in præfatione ſuæ epiſtolæ ad Marcellum Malpighium *de ovis Coclearum:* inſuperhabitis propterea Veteribus omnibus tum medicis, tum Philoſophis, qui ante medietatem feculi XVII. proxime elapſi de hominum generatione ſcripſerunt, noſtram concinnabimus Hiſtoriam ex *Levvenhoekio*, *Hartſokero*, *Regis*, *Liſter*, *Dalenpatio*, *Hombergio*, *Goefroy*, *Andry*, *Elia Camerario*; *Leybnitzio*,

nitzio, *Falchio*, *Morgagno*, *Nigrisolio*, *Gimma*, *Bono*, *Harvæo*, *Graaf*, *Malpighio*, aliisque hujus Aureæ ætatis splendidissimis luminibus, quorum alii in Academiis, alii in Principum Aulis jugibus meditationibus clarissimisque experimentis Animalium generationem scrutati sunt, & contemplati. Horum doctissimorum Virorum antilogias in medium adferemus, Medicos Medicis Philosophos Philosophis, experimenta experimentis, microscopia microscopiis, oculos oculis autopsiam autopsiæ opponendo; ut intelligat quilibet cordatus, quam parum firmum sit systema illud, quod super fundamentum adeo lubricum constructum est.

Qui novas fieri substantias, novumque gigni hominem inter febricitantium deliria numerant, & cuncta in ipsis mundi exordiis a Deo creata fuisse auctumant in duas partiuntur classes: alii putant, primam Animalium creationem factam fuisse in mare, omnium scilicet hominum in primo homine, omnium equorum in primo equo, omnium leonum in primo leone, adeo ut fæmina in horum generatione hospitium solummodo præstet, ubi alimentum sumant, augeanturque, congruo tempore in lucem egressuri. Alii vero in fæmina, ut omnes homines in Hæva, omnes equi in prima equa, omnes leones in prima leæna suis inclusi fuerint ovis, maris semine ad id solum inserviente, ut ea Animalcula excitet, excitata suis excludat folliculis, & per tubas, quas vocant Fallopianas in uterum nutritionis domicilium deportentur; ut inde inlucem progrediantur.

Prio-

Prioris opinionis fertur juxta Dominum Regis auctor extitisse *Hartsoeker* Batarus, qui anno MDCLXXIV. in semine maris quamplurimos vermes microscopio deprehendit: Lister vero gloriam hanc tribuit *Levvenohekio* e Regio Philosophorum Londinensium Collegio, qui Phenomenum hoc antea observarit, & postea scripserit, anno scilicet MDCLXXVII. ad Regiam Londinensem Societatem, cui, & Vermium schemata in tabula a se dilineata misit: ut legitur in actis Philosophicis num. CXLI. pag. 1150.

Levvenohekius igitur primo in semine quorumdam insectorum, (quos Itali *cevettoni* dicunt) innumeram vermium multitudinem deprehendit, sed *vitam*, inquit, *in eis animadvertere nequivi; quapropter statui in observationibus pergere; quoniam semen nondum maturum judicarem. Die autem quadam Animacula in semine masculino apertissime sine ullo labore magna copia viventia vidi: unde & facile fuit eos in tabula depingere*. Hoc idem observavit in semine Locustarum, Culicum, & Muscarum, & quod amplius est in ipsismet pulicis testiculis magnam Animalculorum copiam magnitudinis granuli arenæ summa cum delectatione detexit: atque in ranino semine tantam horum Animalculorum copiam vidit; ut respectu unius ovi fæminæ ranarum decem millia Animaculorum essent in semine masculo. In epistola ad Dn. *Wren* contestatur in semine quadrupedum, avium, & insectorum eosdem vermes se vidisse, præsertim in semine humano, & canino, in quo ait, se clare distinxisse duorum generum Animalcula, masculina, & fæminina; &

in

in mole feminis galli gallinacii non majore arenæ grano 50000. vermes, quem numerum in femine afelli, aliorumque pifcium afello longe minorum deprehendiffe affirmat in epift. 64. ad Regiam Londinenfium Societatem; fimiliter in femine quarundam Concharum adeo ingentem copiam deprehendit; ut poft diligens ftudium dixerit. 100. *horum Animalculorum myriades Vulgaris arenulæ molem non æquare*. In oftreis quoque tot animalcula confpexit, ut nullum in Europa Regnum tot contineat incolas, quot animalcula in femine mafculino unius oftei, neque tota Europa tot habeat homines, quot animalia in tribus oftreis vifa funt a Leevvenohekio. Hæcomnia microfcopii beneficio ufque ad annum MDCLXXVII. vidiffe laudatum Leevvenohekium, & de iis certiorem feciffe Londinenfem Societatem, auctor mihi eft Vallifnerius.

Paria experimenta protulit *Hartzoeker*. Hi duo non minus ac Columbus, & Vefpufius novi orbis repertores quamplurimos ad hoc fpectaculum traxerunt, ex Tranfalpinis quidem Gallos, Germanos, Batavos, atque Anglos, ut Hombergium, Gardenum, Dalempatium, Leibnitzium, &c. ex Cifalpinis vero, & noftratibus Italis Lancifium fummi Pontificis medicum, Petrum Antonium Falchi Taurinenfem celeberrimum Philofophum, atque microfcopiorum ingeniofum fabricatorem, Bonum medicum Brixienfem, qui & microfcopiorum effector egregius fuit, atque ex fola Patavina Univerfitate, ut cæteros mittam, quatuor viros in arte anatomica, & in microfcopii ufu peritiffimos, fcilicet Pighium, Vifcardum,

dum, Morgagnum, & Vallisnerium, quorum tamen postremus non tantam ac cæteri animalium copiam, & multitudinem se deprehendisse testatur.

Firmata tot experimentis animalium seminalium existentia, en inter novos Philosophos, peritissimosque medicos lis, & dissidium super horum Vermium natura, num id genus animalcula veri vermes sint, quoad vivant, & ut vermes moriantur, vel talis naturæ, ut in aliud animal transmutentur. *Leevvenoèkius*, *Andry*, aliique plurimi sustinent id genus animalcula, quandiu in semine manent, eoque innatant, veros Vermes esse, postquam vero in fæminæ uterum projecti sunt, alterius animalis formam, & naturam sumere. *Quemadmodum*, inquit Andry, *Vermes, quos in aqua nare, & undas verberare videmus, dici nequeunt muscæ, aut papiliones, tametsi & muscæ, & papiliones fiant, ita & vermes seminales* (humani seminis) *infantuli dici neutiquam possunt; quamvis in infantes sint transmutandi, cum maternum in uterum fuerint ingressi*

Dalempatius vero, etsi animalcula in semine sine dubio agnoscat, illa tamen vermes in speciem tantum esse contendit, at re ipsa perfecta illius generis animalia suis membris, & partibus instructa, cujus est semen: ut e. c. vermes, qui humano semine innatare conspiciuntur, homunculi sint sub vermis velamine: ita in epist. quadam apud. *Dn. Bernard*, pag. 552. scribit: *insuper animalcula quædam deteximus eadem fere forma, qua mense majo in rivulis, limosisque paludibus ranarum fœtus videntur; horum corpus vix gra-*

num

brum frumenti superat. Quædam grandiuscula: cauda autem quater, aut quinquies corpus adæquat: mira agilitate se se agitant, caudæque verberibus undulas, quibus innatant, cient, pulsantque. Corpus humanum in istis (quis crederet?) attamen illud ipsissmet nostris oculis vidimus; nam dum omnia curiose lustrabamus, unum grandius exuto jam senio, quo involvebatur, se se aperuit, nudatasque clare ostendit ambas tibias, crura, pectus, gemina brachia, & exuvium altius protractum caput adinstar cucullæ obnubebat jucundissimo sane, & incredibili spectaculo. Sexuum discrimina præ exiguitate nosci non quita sunt, & moritur dum se se exuit. At Dalempatii microscopio, ejusque oculis invident omnes: nemo siquidem ex tot tantisque, qui vermes illos diligenter postmodum observarunt, haud unquam potuit huiusmodi homunculos deprehendere; eum propterea hallucinatum fuisse verius putant.

Homunculi isti, quanti sint cum cogito,
Hæc res agetur aliis, mihi certe fabula.

& sane qui tam bonus est; ut credat sub vermis exilissimi cortice hominem integre efformatum latere, cum embrio, qui non exiguæ est molis, rudem tantum humani corporis formam, informemque effigiem habeat?

Qui vero ea animalcula pro veris vermibus habent, diffident in assignando fine, ob quem creaverit ea Deus. Leevvenohekius, Andry, & alii constanter sustinent non alium ob finem Deum creasse hujusmodi vermes, quam ut forent humanæ generationis principium, atque in hac adornanda sparta totis desudat lacertis Dn. *Andry*,

dry, qui ad id probandum rationes adhibet, analogias, atque experimenta. Summus, inquit, omnium opifex Deus, quo altior, & sapientior, eo simplicior, atque uniformior suis in legibus est: alias propterea pro plantis, alias pro insectis, alias pro hominibus, cæterisque animantibus gignendis ponere non debuit leges; sed quemadmodum plantæ, atque insecta ex verme pullulant, ita & cætera animantia bruta, hominesque: & hanc legum uniformitatem conatur eleganter describere excurrendo per generationes plantarum, muscarum, viperarum, pullorum gallinaceorum, bombicis, & formicæ ingeniosum parallelum inter hominis, & horum animantium generationem instituens; ut nihil plus minusve in uno genere efformando, quam in efformando alio natura laboret, sed in omnibus par semper similisque sit.

Vult porro laudatus Andry non aliter fieri potuisse: etenim si, ut doctioribus hujus aurei seculi persuasum est, homines antequam in lucem prodeant, jamdiu integri, omnibusque suis constant partibus, licet involuti atque obtecti, neque aliud efficiunt, quam apparere, quam se se extricare, atque exsolvere, quis non videat Deum tanto temporis intervallo eos conservare non potuisse, nisi sub specie & forma vermis: tot namque involuti tunicis, & membranis, & diu vivere in fluido, & commode moveri possunt.

Ad hæc, nullum, inquit, in generatione phenomenum est, quod clare, & facile in hoc systemate non explicetur, puta quo pacto animalia duplicis generis masculini, & fæminini nascan-

ſcantur, cur ab una fæmina frequentius, quam ab alia pariantur mares: quamobrem, ut in plurimum unum tantum, quandoque geminos, & plures aliquando naſci homines contingat: quam ob cauſſam ultra conſuetum novem menſium ſpatium nonnunquam prægnantes fæminæ tumidum uterum portent, denique, ut finiam, qua de cauſſa fiant monſtra adeo diverſa &c.

Verum qui *Leevvenobekio* ex adverſo ſtant volentes id genus vermes, quos humano ſemine innatare conſpiciunt, nullo modo eſſe humanæ generationis principium, modo adducta Andry momenta flocci faciunt, ut nobiliſſimus Eques *Valliſnerius*, qui ab *Andry* petit, qui fieri poſſit; ut hi vermes in homines tranſmutentnr, cum nec in inſtante, nec congruo temporis ſpatio id fieri poſſit; non quidem improviſa metamorphoſi: cum enim ejuſmodi vermes utpote veri, & non fucati vermes omnia ſua organa, & membra a membris, & organis humanis tot cœlo diverſa habeant, qui fieri poteſt; ut in iſtante adeo ſenſibilem mutationem ſubeant, fiantque de repente ex vermibus homines: jam dudum experientia docuit, vermes non ſtatim, atque αμέσως in animal perfectum tranſire, ſed ſenſim, & paulatim. E. C ante quam vermis fiat muſca, aut papillio in chryſalidem, ſeu aureliam, quæ nec muſca eſt, aut papillio, nec vermis, ſed utriuſque aliquid, prius depoſito ſenio mutari debet, diuque ſub ea forma ſine cibo, & motu maneat oportet, donec intus reformetur, perfectamque muſcæ, aut papillionis formam induat; ut inde depoſitis rurſum exuviis factus muſca, aut pa-

N 2 pil-

pillio per aerem volitet. Transitum hunc non modicum hercle temporis spatium insumere, perspicuum est.

Neque apparet quo modo adeo elegans metamorphosis e verme in hominem media chrysalide sensim, suoque tempore fiat. Enim vero Aurelia, seu Chrysalis non nisi in arido, siccoque loco fieri potest: porro fæminæ uterus ob tot in eum undequaque defluentes lymphas per quam udus, atque umidus est: præterquamquod si ita humana generatio contingeret, aliquando deprehensum hoc, ac detectum fuisset; at nemo est, qui, etsi diu multumque quæsierit, Chrysalidem in utero fæmineo deprehenderit.

Ad hæc inquiunt, qui Leevvenohekio adversantur, si vermes semine innatantes humanæ generationis principium sunt, quare semen fæcundum quandoque vermibus caret, infæcundum vero abundat, & cur ejusmodi vermes non solum in semine maris, verum, & in semine fæminæ deprehenduntur, imo in aqua in sanguine, &c. Dn. *Boni* medicus Brixiensis vir, cui credatur dignissimus. sæpe Vallisnerio per litteras significavit se pluries suum semen (experientia Christiano medico indigna prorsus) cum adhuc fæcundum erat, observasse, & tamen in eo vermes non invenisse, invenisse econtrario post quatuor ab ultima sobole annos, cum jam infæcundus ipse evaserat, ut scribit in epistola die 30. Aprilis anni 1716. ad laudatum Vallisnerium data. Hinc in fumum abeant, neccesse est, experimenta, analogiæ, & phenomenûm explicatio adeo ab Andry magnificata.

Simplicitatem divinarum legum adducere puerile

rile eſt. Enim vero ſi in animalium generatione attendenda eſt ejuſmodi legum ſimplicitas; ſuppari jure & in reliquis attendi debet. Cur ergo Deus duo tantum crura cunctis animantibus non dedit, quæ abunde ſufficiunt ad progrediendum; quin aliis quatuor, ſex aliis, aliiſque centum daret? Cur non omnibus ſinguliſque volucribus duas tantum alas, ut quid aliis plures? nonne ſatis ſunt ad volandum duæ? cur roſtrum avibus, reliquis animantibus rictum, & dentes, cum alterutrum æque in omnibus ſatis ſuperque ſit ad capiendum cibum potumque ſorbendum? An in ſola generatione ſimplicitas legum ſpectanda eſt, in reliquis vero minime? ut ſi forte alia generentur & ovo, ex ſemine alia, horum auctor ſimplex non ſit? ſi rationis micam haberet ejuſmodi argumentatio, nulla in rebus diverſitas, nulla varietas, diſcrimen nullum ponendum eſſet. Sane qui ita philoſophantur neſciunt, quantum diſtent æra lupinis. Sapientia divina, etſi multifariam multiſque modis ſe ſe nobis in creaturis exhibeat, nihil deperdit de ſua ſimplicitate, cum ſit ipſemet Deus, Ens nimirum ſimpliciſſimum, actuſque puriſſimus: *nec nos cum ſimus Genus Dei, debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogitationis hominis Divinum eſſe ſimile*, ut Apoſtolus Athenienſibus in Areopago prædicabat. Variæ ſunt artes, cogitationeſque hominum, ſi varia ſint hominum opera; Deus tamen ſimpliciſſimus & ſapientiſſimus eſt, quamvis alius ſit gignendi modus in inſectis, alius in volatilibus, in cæteris animalibus alius.

Denique etſi hæc omnia utcumque admitteremus, ar-

arduum adhuc, intellectuque difficile est, quem in finem tot sint millia animalium in una guttula seminis? videlicet si vermes illi ad humanam generationem destinati sunt, cur tot tantaque Deus creavit, cum pauci sufficiant ad generationem; unde potior pars pereat necesse sit?

Pressus hac difficultate Leevvenohekius, *respondeo*, inquit, *nonne videmus malum, licet ad centum annos, imo ulterius queat pervenire, singulis annis multa florum millia posse proferre, singulos autem flores malum, & singula mala sex, aut octo semina, & singula semina arbores fieri posse? fingamus autem jam sub tali arbore gramina, & zizaniam abunde progerminare, & omnia mala, quæ malus profert, in gramen dilabi: num ex omnibus illis seminibus, quæ arbor illa protulit, una quidem creatur arbor? non certe, nam non solum umbra arboris, sed gramen quoque, & zizania omnia semina, quæ forte orirentur, opprimen, ac alimento suo privabunt; sed si e contrario unicum bonum semen sumserimus, idque diligenter a zizaniæ oppressione servemus, arbor id fieri poterit:* sed rident adversarii ad hanc Leevvenohekii responsionem probe scientes, quale sit inter homines, & stipites discrimen.

Qui vero omnia animantia in primis fæminis creata auctumant, subindeque omnes homines in Hæva, id principii loco habent: fæminas omnes, etiam quæ viviparæ sunt, duplici Ovario instructas esse, ovisque non minus ac volucres abundare. *Stenon* Italus primus fuit qui in Cane marina Ovaria detexit, fæminæque testiculos esse ovorum receptacula deprehendit, ovaque ipsa per uteri

uteri cornua, quæ iccirco oviducti dicuntur, ad uterum deferri. Hoc ipsum detexerunt postmodum alii *Graaf* videlicet, *Van-Horne Swammerdamius*, *Kerckringius*, *Redi*, *Malpighius*, *Vallisnerius*, *Morgagnus*, *&c.* Verum & si omnes periti Zootomici, & in microscopiorum usu excellentes fuerint, non eadem tamen viderunt, nec eodem modo: unde, & ipsis facile fuit super eadem re varias, oppositasque opiniones induere.

Stenon ovorum nomine vesiculas quasdam globulosas, quibus potior ovariorum pars constat, post multas in vaccis, ovibus, canibus, echinis, salamandris, testudinibus, atque etiam mulieribus observationes intellexit, quæ maturæ factæ suis in calicibus per tubas in uteri cavitatem dilabantur. Hæ quippe vesiculæ, si igne coquantur, indurescunt, non minus ac cætera ova, eumdemque saporem atque odorem reddunt, ut præter Stenonem observavit etiam Dn. *Redi* in leænarum, ursarum, vaccarum, bubularum, asinarum, damarum, & cervarum ovis, sicut etiam *Graaf*, *Kerckringius*, aliique plurimi.

Malpighius vero ejusmodi vesiculas ova esse, quæ postmodum fæcundentur, non putat, his ductus momentis, quod nempe in magna copia sint, atque inæqualis molis, quod semper luxuriantes appareant, & cujusdam liquoris coagulatu facilis plenæ, unde existimat eas potius esse materiam quandam, qua corpus flavum, & glandulosum ovariis inclusum excitetur; ova vero collocat his in corpusculis flavis, & glandulosis suis alligata apendicibus centrum versus. Fatetur nihilo tamen

men minus ova his corporibus inclusa se nunquam vidisse.

Vallisnerius nobilis Malpighii discipulus Praeceptoris sui opinionem secutus ova in illis corporibus flavis contineri & ipse putat, quamvis tamen totam adhibuerit industriam, & oculorum aciem, quoad potuit, acuerit, Malpighio felicior non fuit, expertusque est, non esse discipulum super magistrum: uterque propterea ariolando potises, quam definiendo loqui visi sunt.

Herveus, cujus fortunae in exercenda Zootomia ob ingentem animalium copiam invidit Malpighius postquam animadvertisset, quod tempore coitus in cervis, damis, caeterisque omnibus viviperis cornua uteri immutentur, testiculi autem quasi generationi neutiquam inserviant, nec turgeant, nec quidquam a solita constitutione sive ante sive post coitum varientur, humanae generationis principium neque in vesiculis, neqne in flavis, & glandulosis corporibus esse voluit, sed in quibusdam mucosis filamentis, ut sunt aranearum telae, certo post coitum tempore in utero efformatis, quae cum in quodam sacculo coadunata sint, veluti ovum exhibent sua membrana obtectum, cui putamen detractum sit.

Herveo se se statim opponit *Conradus Peyerius* qui & parem animalium copiam pro Zootomia habens una cum *Vernyo* in disectis damis, & scrophis tantam fieri in ovariis mutationem deprehendit, quanta opus est ad ova excludenda.

Graaf qui summa diligentia, parique patientia tot cuniculas dissecuit, quot a primis post coitum horis, primoque conceptu ad partum usque

que sufficiunt cum Stenone ovariorum vesiculas pro ovis posuit contra Malpighium, & Vallisnerium.

In Academia Parisiensi duo ejus insignes Professores *Verney* junior, & *Litre* scrutati sunt ovaria ovium, vaccarum, & mulierum; ova vero, quæ in votis erant, non invenerunt: hoc ipsum contigit *Verh..n*, *Morgagno*, aliisque ovorum quæsitoribus diligentissimis: unde apparet haud satis demonstratum, fæminas ovariis instructas esse ovisque abundare, quod & ipsemet Vallisnerius acerrimus ovorum defensor quodammodo fateri videtur, dum testatur, nec suis in folliculis, neque in papillis, neque in aliis ovariorum partibus ova invenisse, negat insuper ea a quoquam videri posse, & Malpighii autopsiam, paucorumque aliorum, qui semel, aut bis ova se deprehendisse ajunt, in dubium vocat, & tantum ut falsam non reicit; quominus αὐτὸς ἔφα Præceptoris sui Malpighii parvi pendere videatur.

Admisso tamen ejusmodi ova revera dari, cum ea nonnulli viderint in tubis saltem, aut in utero: quid amabo his in ovis microscopio, aut nudis oculis deprehendere potuerunt viri egregii? Herveus nihil prorsus præter quædam mucosa filamenta, quæ primum animantis fætum esse contendit, addit se quandoque in mulierum abortibus ova non minora columbino, aut etiam gallinaceo vidisse, quæ tamen sine fætu erant.

Graaf in oviductis Cuniculæ octavo post coitum die occisæ, & dissectæ ova reperiit, quæ in se nihil aliud continebant, quam purum putumque liquorem clarum admodum, & limpidum: in o-

vo alterius cuniculæ nono a coitu die gladio anatomico suppositæ detexit quamdam perexiguam, & raram nubeculam, & decimo die post ascensum maris alia dissecta in ejus ovo subobscuram quandam, & mucosam embrionis delineationem vix potuit observare, & tantum post duodecimam a conceptu diem aliam mactando embrionem in ovo utcumque in sua membra distributum vidit.

Malpighius, quo constantius nemo, & fortassis melius hæc naturæ opera contemplatus est, in fæcundo gallinæ ovo non efformatum fætum statim vidit, sed per tres hebdomades eum sensim fieri intuitus est, ut egregie describit in epist. quam ad magnam Societatem Regiam Anglicanam *de efformatione pulli in ovo.* Kal. Feb. anni MDCLXXII. dedit, & in appendice *de ovo incubato*, ad eamdem Societatem mense octobri ejusdem anni. Ita & alii, neque unus est, qui in ovo animal perfectum, omnibusque suis instructum partibus viderit; licet & in Zootomia, & in microscopii usu peritissimus fuerit.

Utrumque systema, de ovis scilicet, & vermibus seminalibus non tam ratione, quam perfecto animali cassum probat Leevvenohekius, cui (ut ipse testatur epist. 80.) cum scripsisset is qui a secretis Academiæ Londiniensis erat: *si unquam adeo fueris felix, ut animalcula seminis masculini in ovo fæcundato observare potueris, ejus rei communicatione nos totos tibi devincies, fierique posset; ut ova insectorum essent idonea, in quibus animalcula quærantur, quia sunt minora ovis aliarum creaturarum, ac proinde in his animalcula non tam longe quæri debent:* ita respondit: *Nobilissimi DD.*

sæpe

ſæpe animalculum in ejuſdem ovis quæſivi, ſed nunquam illud detegere potui: quamvis enim exigua ſint illa ova, admodum tamen magna ſunt comparate ad unum animalculum ex ſemine maſculino. Si vero ovum interius conſtaret ex liquore claro, & pellucido, magis ſperarem me animalculum eſſe detecturum; ſed cum jam ovorum materia magna ex parte conſtet ex globulis rotundis variæ molis, & liquore aliquo pellucido, jam mihi perſuadeo, me animalculum nunquam inveſtigaturum. Omnem tamen eum in finem adhibeo induſtriam. Omnem adhibuiſſe induſtriam Leevvenohekium certiſſimum, inveniſſe vero non conſtat. En quomodo in ovo fæcundato nec vermis eſt, nec animal, ſed ſolum ex globulis rotundis variæ molis, & liquore pellucido conſtat.

Hæc hiſtorice tantum ex Valliſnerio a nobis compendio narrata tot antilogiis ſatis evincunt, quam parum firma ſint, quæ recentiores de animalium generatione venditant, & quam ruinoſum ſit ſyſtema illud, quod adeo futile fundamentum habet, quin in medium adferamus argumenta, quæ in contrarium habent *Sbaraleas*, *Lamy*, *Vennetus*, *&c.* Viri & ipſi in Zootomicis obſervationibus peritiſſimi.





CAPUT XIII.

Omnes, & singulos homines in mundi exordiis cum Adamo creatos non patitur Virginitatis, & continentiæ votum.

DEcem Theologiæ locis Du-Vigerii, Leybnitzii, Wolfii, &c. systema confutavimus, ut Theologo nihil adducendum remaneat, nisi quædam absurda, eaque gravissima, quæ ex eo sponte sua nasci videt; unde & ea in medium adferre operæ prætium ducimus, quorum unum est virginitatis, & continentiæ votum, quod in Ecclesia Catholica a nonnullis sanctissime custoditur, omnino pessundari, atque extingui.

Adversus Virginitatem, & continentiam non tantum aperte debaccati sunt *Jovinianus*, *Helvidius*, & *Vigilantius*, quos Hieronymus singillatim datis libellis perstrinxit, & confutavit, Lutherus, aliique Catholicæ Fidei pestes, & puritatis osores; quantum per cuniculos, incaute saltem, novi moliun-

tur

tur Philosophi. Helvidius post impias, impudentesque in Virginem Dei Matrem blasphemias Virginitatem matrimonio minime præstare dixit, sed utrumque paris esse nobilitatis. Jovinianus Virgines, Viduas, & Maritas, quæ semel in Christo lotæ sunt, ejusdem esse meriti censuit; dum in reliquis non discrepent operibus. Imprudenter magis Vigilantius, qui Virginitatem, & continentiam Hæresim, & libidinis seminarium appellare non erubuit: Episcopis iccirco suadebat, ne in Clericum assumerent eum, qui cælibem vitam vellet ducere, eoque impudentiæ devenit; ut maritos ipsos, qui tumentes fæminarum uteros non viderent, Christi ministerio prorsus indignos judicaret.

Lutherus denique quo nemo in carpendis Catholicæ Fidei dogmatis impudentior, nemoque audacior, adeo in Virgines rabiem suam evomuit in serm. de matrim; ut asserere non puduerit, *omnes tum monachos, tum nonnas fidei expertes esse, quique de suo cælibatu, & ordine gloriantur, indignos esse; ut baptizatum infantem in soporem collocent, aut pulmentum illi conficiant: etiamsi nothus sit: religio enim, & vita eorum nullum Dei verbum pro se habet, nec gloriari possunt, quod sua opera Deo grata sint, ut mulier etiamsi nothum in utero ferat.*

Sed hæ delirantium voces sunt, deblaterationes, imperitique sermones sine rationis mica prolati, nullaque propterea confutatione digni, & a Catholico sibilis tantum explodendi. At vero novitium systema de omnium in Adamo creatione Virginitatem Angelicæ puritatis emulatri-

tricem, quæ hominem e terreno cæleſtem facit, ut notat Chryſoſtomus lib. de Virginit. & cui peculiaris in cœlo laurea paratur, ex virtutum albo expungit ſtatim, ipſumque continentiæ votum, quod aſpirante Deo a nonnullis in Eccleſia emittitur, & divinæ gratiæ ope ſanctiſſime cuſtoditur, nonniſi ſummo ſcelere fieri poſſe, & pari impietate ſuaderi, meridie clarius oſtendit; quidquid dicat Chriſtus apud Mattheum cap. 19. cum de Eunuchis, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cœlorum, ſermonem habuit: quidquid Paulus Corinthiis ſuis in ejus laudem ſcribat optans, ut omnes, ſicut ipſe, vitam cælibem ducerent, *volo vos omnes eſſe ſicut me ipſum*. Quidquid Patres, quidquid Concilia, quidquid denique Eccleſia tota in Virginitatis, & continentiæ commendationem prædicet.

Verum enim vero quo pacto in præſenti, quod impugnamus, ſyſtemate continentia, cælibatus, ipſa denique Virginitas erit virtus, quæ recta fronte, atque ex diametro rationi, Deique opponitur voluntati? Prohibet Deus, ne homo hominem occidat, ratio, & natura clamat, ſartam tectam alterius vitam non minus ac propriam ſervandam eſſe: econtrario Virginitas, Cælibatus, & Continentia tot homines enecant, & ſuffocant, quot lumbis includuntur. Non hic de abſtinentia a venere, & voluptate agitur, ſed de ſervanda hominum, & pene innumerabilium vita, quam nemo ſine homicidii crimine eripere poteſt. Enim vero ſi Pater Abraham, ut Deo melius inſerviret, omni familiæ cura ſolutus cælibem vitam duxiſſet, nonne ejus contientia tot ſuffocaſ-

ſet

ſet homines, quot poſtmodum ex eo nati ſunt pergrandes videlicet nationes, atque ampliſſimi populi, qui etiamnum perſeverant?

De hoc adeo gravi abſurdo ſermonem quadam die habui cum viro erudito, qui ut Wolfiio patrocinaretur, ita mihi repoſuit: *Deus tot creavit homines, quot naſci debuerant; ii propterea, qui continentiam ſervant, aut caſtitatem vovent, nullos in lumbis ſuis homines habent*. Cui e veſtigio ego: Undenam, quæſo te, Vir erudite, tot ſolummodo quot naſcuntur, Deum creaſſe homines, didiciſti? Chriſtus Dominus, quem certe hoc minime latuiſſet, in ſuo Evangelio contrarium aſſeruit, dum continentiam inter conſilia poſuit, eamque omnibus promiſcue, & ſine delectu amplectendam exhibuit: quod neutiquam feciſſet, ſed exerto quaſi digito deſignaſſet, qui filiorum procreationi intendere, & qui caſtitatem amplecti deberent, nec niſi imprudenter, ſumma imo infinitæ hominum multitudinis injuria dixiſſet, *ſunt Eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cælorum, qui poteſt capere capiat*. Imprudentiſſimus quoque conſiliarius Corinthiis fuiſſet Apoſtolus ſuadens unicuique eorum Virginitatem: *Solutus es ab uxore noli quærere uxorem*: quippequi neſcius, quinam ſint homines, qui lumbos hominibus turgidos habeant, nihilo tamen minus indiſcriminatim omnes cælibes eſſe optet non ſine manifeſto ſuffocationis periculo.

Addidi, ſi verum eſt illud, quod tu Vir excellentiſſime Wolfii cauſſam oraturus adducis, fatendum quoque tanquam certiſſimum erit, nullam poſt ſe ſobolem relicturos fuiſſe tot juvenes

ro-

robustissimos, qui in bello mortui sunt, vel peste enecati, aut maris fluctibus absorpti, vel qui impuberes quocumque morbo vitam finierunt: sic Abel ab impio fratre occisus, sic hebræorum infantes barbaro Pharaonis edicto in Nili fluenta demersi, sic centum, & octoginta quinque millia Assyriorum, quos Angelus Dei una nocte in castris Sennecherib delevit, sic septuaginta milla virorum, quos Deus ob David superbiam immissa trium dierum peste perdidit, sic denique, ne longius accersiamus exempla, tot illi homines, quos nostris diebus pestis massiliensis in Provincia interemit, tot fortissimi juvenes, quos nudiustertius in agro Parmensi, & Guastallensi ex Gallis, Sardis, & Germanis bellum consumsit, tot Turcæ a Persis, & Moschis, tot Persæ, & Moschi a Turcis occisi, si superstites fuissent, si cladem evasissent, diuque vixissent & generationi incubuissent, nullum neque unum claudum, aut mancum suscepissent filium, cum nullum antequam morerentur, susceperint. Itane Vir excellentissime? Cum hæc audisset Vir ille eruditus, quem potius ex amore adversus Wolfium, quam ex animo loqui deprehendi, obmutuit, & subridens discessit.

Admisso igitur incertum omnino esse, quinam hominum homines in lumbis habeant, quinam vero vacui sint, quo jure, inquio, Ecclesia Catholica Monachos omnes castitatis votum solemniter emittere, & Sacerdotes seculares Latinos castitatem jurare cogit? Nonne hoc est in perniciem, vel saltem in evidentissimum periculum tot hominum, quos Monachi, & Sacerdotes suis claudunt lum-

lumbis, qui certe nisi foras mittantur, vitam misere perdant, necesse est. Habebunt saltem qui castitatis voto adstricti a Fide Catholica ad hæreticorum castra divertunt, ibique uxores ducunt, filiosque suscipiunt, unde voti sui fractionem excusare possint, utpote contra Jus naturale emissi, atque in hominum perniciem.

Scio Leybnitzium & Wolfium, utpote Lutheranos hoc argumentum a castitatis, & continentiæ voto depromtum parvi pendere; at quod Du-Vigierius Catholicus ejus pondus non senserit, vix intelligo. Reponere, quod corpora lumbis continentiam voventium inclusa sine Anima sint, ridiculum est: Lutherus, aliique, qui post castitatis votum filios susceperunt, Du-Vigierium mendacem, aut nimis credulum efficiunt: quapropter & ipse, si suis stare velit principiis, fateri debet, nil esse castitatem Deo vovere, quam mille millenorum millium hominum vitas Deo offerre, quibus hostis an placetur, dicat Du-Vigierius. Concludendum itaque, in hoc systemate legibus tum divinis, tum humanis districte sub gravissimis pænis cavendum esse; ne quis castitatem voveat, vitam cælibem ducat, atque ab uxoriis amplexibus abstineat, jubendum imo homini cuilibet; ut cum primum ad pubertatem pervenerit, uxorem ducat, totoque vitæ suæ tempore filiorum procreationi operam navet; ut quoad fieri potest, hominum in hominibus clausorum, qui præstolantur foras a parentibus suis emitti, vitæ consulatur. At quis est, qui tam horrenda iugibus non defleat lacrimis non ignorans Virginitatis, & Castitatis votum ex his esse, quæ Deo appri-



CAPUT XIV.

Matrimonii insolubilitas, & Monogamiæ *lex, quæ in Ecclesia Catholica sanctissime custodiri mandantur, novos quotidie fieri homines suadent.*

ALterum absurdum æque gravissimum est conjugalis vinculi solutio, & uxorum numerus, quod ex hoc systemate dimanare certissimum est. Matrimonium ob alterius conjugis adulterium Græcos quandoque solvisse auctor est Guido Carmelita seculi XIV. scriptor in lib., quem de erroribus Græcorum scripsit, & Latini Græcos in Concilio Florentino de hac praxi interrogasse leguntur, qui mos ad tempora usque Tridentini Concilii apud Græcos præsertim, qui sub Reip. Venetæ Dominio Cretam, Cyprum, Corcyram Zacinthum, Cephaloniam, aliasque insulas tunc incolebant, viguisse refert Cardinalis Pallavicinus lib. 22. hist. Trid. cap. 4. Hoc

idem docuit Calvinus lib. 4. instit. cap. 19. Philipus Melancton in locis Theologicis non solum ob alterius conjugis adulterium matrimonium solvi posse dixit, verum si forte conjux conjugem iniuste deserat. Indulgentissimus omnium fuit Lutherus, qui non solum in caussa adulterii, sed etiam si forte conjux fictus, & larvatus Christianus Christianam conjugem deserat, aut si frequentes rixæ domi inter conjuges oriantur, aut etiam si conjux conjugem ad furtum, alterumve induxerit peccatum, vel si absens conjux a conjuge diu fuerit, sanctum matrimonii vinculum frangi, & solvi posse, e tripode pronunciat in cap. 3. primæ epist. ad Corinth.

At in Ecclesia Catholica stricta lege cautum est ne quis ullis de causis, nec etiam ob alterius conjugis adulterium matrimonium rite contractum dirimat; ita *Christus* Marci 16., & Lucæ 10. sanxit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam; & si uxor dimiserit Virum suum, & alii nupserit, mæchatur*. Ita Apostolus primæ ad Corinth. 7. prædicat. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a Viro non discedere, sed si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari...... Mulier alligata est legi, quanto tempore Vir eius vivit*. Ita *Eugenius* IV. in decreto pro *instructione Armenorum*, cuius hæc sunt verba: *Quamvis autem ex caussa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii vinculum legitime contracti, perpetuum sit*. Lutheranos propterea, & Calvinianos, quod hanc ejus

san-

sanctissimam doctrinam, & praxim tanquam tyrannicam, atque erroneam traducere imprudenter ausi sunt, anathemate perculit in Concilio Trident. sess. 24. can. 7. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse solvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui caussam adultero non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere, mœcharique eam, quæ dimisso adultero alii nupserit, anathema sit.* Quam praxim a primis usque seculis semper in Ecclesia viguisse nostrates Theologi invictis argumentis demonstrant.

Sanctissime æque, ac justissime. Quid amabo sanctius, quid justius, quam Christi doctrinam in scripturis manifestam, & a Patribus commendatam sartam tectam tueri, & defendere? Ita quilibet Catholicus, atque orthodoxæ fidei sectator, qui Du-Vigierium, aut Leybnitzium super hominum ortu philosophantem necdum audierit: at ubi primum, quid hi philosophi de hominum origine sentiunt, vel obiter acceperit; alterutrum statim damnandum judicabit, aut doctrinam de insolubili matrimonii nexu, ceu tyrannicam, cujus assertores barbari, atque inhumani sint, aut novam Philosophorum opinationem purum, putumque commentum esse: impossibile quippe est, utrumque verum esse, & ut tale posse admitti.

Ponamus id, quod nedum fieri potest, sed fere quotidie solet contingere, virum aliquem videlicet ad Ecclesiæ leges, & normam insolubili ma-

matrimonii vinculo sibi jungere fæminam, quæ alias sterilis sit, & ad concipiendum minus idonea, ipsum vero habere lumbos hominum plenos, ac turgidos: nemo hercle erit, nisi mente cæcus, qui non videat, hominem hunc immanem & plusquam scythicam exercere tyranidem in eos omnes, quos suis in lumbis claudit, quique ob uxoris valetudinem, aut incassum fundantur, aut intus marcescant oportet matrimonii vinculo ut carnificis laqueo enecati. E contrario si sterili dimissa alia eis obtingeret in matrem, quæ ad eos concipiendos esset idonea; absdubie nascerentur, & viverent, atque ita in hominum vitam, non vero in necem matrimonium fieret.

Nec mihi reponant: qui *sterili jungitur*, *lumbos hominibus vacuos habere*, nullamque propterea suscepturum fore sobolem; etiam si fæcundæ uxori jungatur, ita eo disponente in cujus dictione, & potestate cuncta sunt posita: attenim præterquamquod hoc nonnisi temere, atque ad arbitrium dici potest, quotidiana experientia contrarium docet. Quot enim in diem videmus mori, qui ob uxoris sterilitatem nullam post se linquunt legitimam prolem, nothos autem quamplurimos, quos æstuante libidine ex incestu, aut adulterio susceperunt; numquid ii steriles uxores habentes lumbos hominibus vacuos habuerunt? Supervacaneum puto exempla adducere, cum res per se patentissima sit. Satius, me hercle, fuisset hujusmodi Viris uxores suas, ut primum ad sobolem ineptas agnoverunt, dimittere, aliasque in earum locum ducere, atque ita nec se criminibus, nec filios suos infamiæ commisissent.

At

At demus semel ductam uxorem nulla ex caussa dimitti posse, ne contra Christi præceptum *quod Deus conjunxit, homo separet;* polygamia tamen, quam simultaneam vocant, saltem ut neccessaria admitti debet in subsidium tot tantorumque, qui alioquin disperirient, eo maxime quod uxorum numerum naturæ adversari non admodum certum est, & aliquando licitum fuisse divina perhibet historia in Abrahamo, Jacobo, Davide, centumque aliis Viris Sanctissimis, quidquid blasphemus Calvinus in oppositum garriat.

Non video cur morem hunc damnet Ecclesia in humani generis perniciem. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit;* ita detonat in eum, qui plures simul habere uxores moliretur.

Enim vero si lege divina cautum est, ne quis plures habeat uxores, crudelis admodum Deus audit, quod eam legem tulerit, cuius observantia infinitorum hominum perditio est. Porro quæ ratio adversus ejusmodi Polygamiam militat? num ea, quam adfert Paulus primæ ad Corinth. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed Vir, & Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier;* hoc est, ut argutantur Theologi: quandoquidem Vir corpus suum tradidit uxori, & vicissim uxor corpus suum Viro tradidit, cum æqua sit utriusque obligatio, neutri licet corporis sui copiam alteri facere. At hæc ratio in novo systemate adeo futilis est, ut nil futilius, falsa imo & falsissima: Attenim quamvis uni uxori plures Viri tradendi non sint, & hoc rationi, & naturæ sit consenta-

ta-

taneum; plures tamen uxores tradi posse uni Viro, imo & tradendas esse, natura, & ratio juxta recens systema suadent ex eo, quod una tantum uxor satis non est ad omnes eos excipiendos filios, quos ejus Vir gignere potest; at vero commode potest unus Vir tot filios generare, quot valent plures uxores concipere.

Hierobaal filius Joas, alio nomine Gedeon dictus, septuaginta filios habuisse Jud. 8. perhibetur præter Abimelech, quem Sichemita Concubina ei pepererat. Omnes hi filii egressi dicuntur de Gedeonis femore, *eoquod plures haberet uxores*. Mulierem adeo fortem, quæ totidem pariat, quis inveniet? Nec Du-Vigierii uxorem, nec uxorem Wolfii, quas Deus diu sospitet, si adhuc in Vivis sunt, tantæ fecunditatis puto; etiamsi singulis annis gemellos enitantur.

Nec juvat, quod Vir totum se se uni uxori devoverit & firmo juramento ad aliam vivente priore promiserit non accedere: juramentum quippe & votum, quantumvis solemnissimum, atque in facie Ecclesie emissum, si in aliorum damnum emergat, non tenet, & in male promissis fidem rescindendam esse, legis adagium est.

Hoc totum clarum fiet exemplis. Patriarcha Abrahamus Gen. 16. duas habuit uxores, Saram videlicet hæram, atque Agarem ancillam: ex illa Isaacum, ex hac suscepit Ismaelem: si uni Saræ adhæsisset Abrahamus insuperhabita Agare, Ismael natus non fuisset, nec ex Ismaele duodecim Principes, quorum nomina recensentur in Scriptura, nec ex his Principibus amplissimæ nationes, Populique non exigui, Nabathæi, Cedaræni,

ni, Ituræi, &c. Hi enim omnes in Abrahami lumbis præfocati fuissent. Similiter si Jacobus Abrahami Nepos una Lia contentus fuisset, nec alias sibi junxisset, uxores Rachelem, Balam, aut Zelfam, sex tantum Tribus in populo Istraelitico numerarentur, reliquis septem, quorum census in deserto 311350. hominum ad ferenda arma, & ad bella gerenda idoneorum, præter fæminas imbelles, pueros, & devexæ ætatis senes inventus est, extinctis, & antequam nascerentur, mortuis: quibus si addas, qui antea in Ægypto obierant, & postmodum in deserto, atque in terra Canaam, in captivitate tum Assyriorum, tum Caldæorum, & inter gentes dispersione nati sunt hactenus, nascenturque deinceps, adeo magna erit hominum multitudo, quod unius viri extinxisset monogamia; ut nec mente queat intelligi. Hæc adeo perspicua sunt, ut nullo indigeant glossemate.

Non video itaque cur damnanda non sit hæc de pluribus non ducendis simul uxoribus Ecclesiæ doctrina, & cur impii non sint, qui eam more servant, & animo? Contra cur Lamechus septimus ex Cajno Adami nepos, qui omnium primus polygamiam invexit, summis non efferatur laudibus, & post Lamechum cæteri polygami Turcæ, Persæ, Indi, & Seres, qui ampla ginicæa habent, pluribusque utuntur uxoribus, dum eas non ad voluptatem capiendam, libidinemque explendam, sed ad fundendos, quos in suis lumbis gerunt, homines, ducant, atque accipiant.

Non denique video, cur adeo pudeat Lutaeranos,

ranos, quod Pseudo-Magister suus Lutherus cum aliis pseudo-reformatoribus indulserit Philippo Hassiæ Lantgravio; ut retenta priore uxore Christina Saxonum Principe, aliam duceret, Margaritam nimirum de Saal, ut refert Varillas hist. Hæresf. lib. 12. ad annum MDXXXIX. Jacobus Benignus Bossuetus tomo primo variat. lib. 6. aliique Theologi atque historici, apud quos Lutheri ejusque sociorum votum, atque authentica instrumenta visuntur.

Nonne hæc omnia quantumvis absurdissima & in Ecclesiam Catholicam, Christique legem injuriusissima evidentissima novi systematis consectaria sunt, quæ si Philosophis Christianis non placent, gradum retrahant, & quæ ineante commenti sunt, mutent, & ad Sanctuarii pondus, sanæque Theologiæ criterium corrigant: si vis evitare consequentia, muta antecedentia, tritum adagium est: quandiu enim docebunt, Deum cunctos homines initio mundi creasse, hæc & similia absurda, & paradoxa diglutiant, oportet.



CA-



CAPUT XV.

Enormitas *novi systematis adnotatur.*

TAntus est hac ætate novitatis amor, & nova addiscendi libido; ut singulis fere annis, ne dicam mensibus, aut etiam diebus, nova prodeant in Philosophia systemata: ut pudeat aliorum sequi opiniones, aut tritas amplecti sententias, nemoque se Philosophum putet; nisi quid novi excogitaverit. Oritur cacoethes istud ex quodam principio æque impio ac stulto: *Nil esse in rerum natura, quod humanæ mentis intelligentia assequi non possit:* quasi Deus id duntaxat effecerit, quod humana mens possit assequi, suamque divinam omnipotentiam humanæ cognitionis limitibus incluserit: fuerunt id genus homines etiam ætate Doctoris Angelici: *sunt quidam*, ita lib. 3. cont. Gent. cap. 5., *tantum de suo ingenio præsumentes; ut totam naturam Divinam putent suo intellectu posse metiri, existimantes scilicet totum esse verum, quod eis videtur, & falsum, quod eis non videtur.* Hoc pseudo-principio decepti recentiores mirum quantum in novis cudendis

systematis detinentur, ratus unusquisque talem esse rerum ordinem, qualem ipse somniatur; & si forte fortuna contingat, ut unam vel alteram difficultatem utcumque solvat, statim systema suum uti verissimum prædicat, nec Deum aliter egisse putat; ut parum desit, quin dicat: *quando præparabat* (Deus) *Cœlos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abissos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis; ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore:* ut de Sapientia Divina dicitur Proverb. 8.

Hujus farinæ sunt Philosophi illi, qui cunctos homines in mundi exordiis creatos fingunt, rati post septimam diem nil Deum amplius fecisse; aut deinceps facturum esse: quorum systema nedum sine ullo fundamento contra communem omnium sensum elaboratum esse, sed & prorsus incomprehensibile in hoc capite ostendemus, quod ut fiat paulo fusius explicetur necesse est.

Quum arbitrantur, Deum in Adamo creasse omnes homines, ejusque lumbis inclusisse, non tumultuarie, & confuse una positos imaginantur: alioquin nulla esset ordinata series generationum, casuque duntaxat, & fortuito contigisset; ut Adami primogenitus fuerit Cainus, non vero Abel, aut Sethus, aut etiam Noemus, vel quisquis ex Adami Nepotibus fuerit, sive ego, qui hæc scribo, sive tu qui legis, sed miro quodam ordine; ut filius in patre, pater in avo avus in atavo,

&c.

&c. Sic tres Noemi filii in Noemo, Noemus in Lamecho, Lamechus in Mathusalemo, Mathusalemus in Enocho, Enochus in Jaredo, Jaredus in Malaleele, Malaleel in Cainane, Cainan in Enoso, Enosus in Setho, Sethus denique in Adamo. Adamus itaque eos omnes ordinatim, & seriatim in se habuit, fuitque veluti extima cæparum tunica, quæ interiores complectitur, & claudit; evenit propterea, ut cum ad uxorem suam Hevam Sethum generaturus Adamus accesserit, nil egerit aliud, quam universam hominum multitudinem Setho inclusam in Hevæ uterum exonerare; ita pariter Sethus gignendo Enosum in Enoso cunctos homines effudit, Enosus itidem gignendo Cainanen, Cainan gignendo Malaleelem, Malaleel Jaredum, Jaredus Enochum, Enochus Mathusalemum, Mathusalemus gignendo Lamechum, Lamechus Noemum, denique, ut finiam, Noemus gignendo Semum, Camum, & Japhetum totum genus humanum horum trium filiorum lumbis inclusum sparsit, atque effudit, & ita de reliquis Adami, Noemique nepotibus ad eos usque nimirum, qui lumbos vacuos habent, quorum mors mundi finis erit. Suppari modo dicendum juxta eos, qui in Heva cunctos homines creatos dicunt, nisi quod generationum series secundum fæminas texi debeat.

Porro alius ordo attendendus est, ut scilicet unus homo non quacumque in sui parte alium hominem claudat, sed in lumbis: sic Adam suis in lumbis habebat Sethum, Sethus Enosum, Enosus Cainanem, &c. Similiter in systemate ovorum fæmina, quæ in primo ovo fuit, alias fæminas

minas suis in ovariis habuit, et hæ alias pariter in suis ovariis, sic deinceps usque ad ultimam. His positis, quæ lubentissime novi Philosophi nobis concedunt apparet statim enormitas & incomprehensibilitas eorum systematis.

Enim vero si omnes, & singuli homines suis instructi membris capite, brachiis, pedibus cruribus oculis, dentibus, pillis usque, atque unguibus & fæminæ suis ovariis, tubis fallopianis, utero &c. in Adamo fuerunt; haud facile comprhendi potest, quo pacto eos omnes suis in lumbis caperet Adamus; quin in immensum cresceret.

Pater Ricciolus insignis S. I. Mathematicus lib. 12. suæ Geographiæ reducens ad calculum cunctos homines, qui terrarum plagas incolunt deprehendit, eorum numerum esse unius billionis, hoc est mille millenorum millium, seu mille millionum. Porro cum ab orbe condito ad hæc usque nostra tempora effluxerint juxta supputationem Hebræorum quinquaginta septem secula fere cum dimidio (quater mille anni ante Christi Servatoris ortum, & mille septingenti triginta octo secundum Vulgi æram, revera autem mille septingenti quadraginta duo a Christo nato ad præsentem annum) totque seculis tercentum fuerint generationes, in quarum singulis unus billio hominum, exurget statim numerus tercentum billionum, 300000000000.

Nec excedere putandus est tantus numerus; etenim quamvis pauci fuerint principio homines, & Patres Antediluviani per annos MDCVI. prolixiorem, & diuturniorem vitam ducentes paucas vederent generationes, pensatis tamen, &

recen-

recensitis omnibus illis, qui in utero materno, aut vix nati, vel in infantili ætate moriuntur, necnon qui in morientium lumbis suffocantur, longe major exurget numerus. Quot vero deinceps nasciturí sint ad finem usque mundi, cum de illa die nemo sciat, neque Angeli Dei, nostrum non est ariolari. At quis est, qui tot tantosque homines in unius hominis lumbis clausos fuisse imaginetur? Sint quantumvis exiguæ, exilisque molis, homines tamen sunt omnibus suis instructi membris, & organis, ut nihil prorsus illis desit: Vereor, ne cum hæc audiant recutiti Hebræi Philosophis nostris summas habeant gratias, quod ex eorum assertis Talmudis sui deliria se posse defendere arbitrentur. In tractatu ברכות cap. 9. narrant Talmudistæ Deum creasse proto-parentem Adamum ingentis adeo molis, atque altitudinis; ut capite Cœlum ad usque pertingeret, quem postea ad preces Angelorum Adami proceritate exteritorum manu compresserit ad altitudinem cubitorum duntaxat mille: nec mirum si totum genus humanum suis in lumbis habebat.

At demus adeo exiguos fuisse homines in Adamo positos; ut ipse ultra consuetam magnitudinem non excederet, nihilo tamen minus alterum longe incomprehensibilius est, nempe ratio inæqualitatis, quam inter se habent corpora in Adamo contenta; nam tanta esse debet, ut ratio corporis contenti subcentupla ad minus sit ad corpus continens. Manifestum est quippe humanum corpus suo semine, quo alterum corpus includitur, centies majus esse, ne dicam millies. Hoc itaque posito tanta erit ratio inæqualitatis

ho-

hominis novissimi, seu ultimo nascituri ad primum hominem; ut nec sensu, nec imaginatione, nec mente concipi possit. Quod ut sub oculis ponamus, demus ex quo mundus creatus est, centum fluxisse generationes, octoginta propemodum ad Christum usque numerantur, corpus Adæ majus erit corpore hominis centesimæ generationis triginta-dillionibus, quam summam a nullo perito Arithmetico deprehendi posse puto; nam

Adam major est	Setho ——	100
	Enoso ——	10000
	Cainane —	1000000
	Malalaldele	100000000
	Jaredo ----	10000000000
	Enocho ----	1000000000000
	Mathusalemo	100000000000000
	Lamecho —	10000000000000000
	Noemo ——	1000000000000000000
	Sem --——	100000000000000000000

Sic de cæteris per milliones, billiones, trilliones, quatrilliones usque ad triginta-dilliones, qui numerus arithmeticis characteribus expressus est ejusmodi:

1 00000000000000000000000000000000000000000
000000000000000000000000000000000000000000
000000000000000000000000000000000000000000
000000000000000000000000000000000000000000
000000 000000000000000000000000000

Quis hæc audiens delirarum anicularum fabellas se audire non arbitretur; & tamen in novo systemate verissima sunt, vel saltem ut vera admitti debent. Cogita nunc, qualis erit excessus Adami super ultimum hominem. Profecto si pauca sæ-

fæcula adhuc mundo supersunt in immensum diminuetur novissimus homo.

Sed præsto sunt novi systematis Patroni, & veluti tot Macedones nodum hunc Gordiano implicatiorem solvere non valentes quasi gladio detruncant, asserentes id possibile esse ob divisibilitatem materiei usque in infinitum, atque ita quemadmodum ille oraculum, hi munus Philosophi vel illudunt, vel adimplent.

Attenim licet hæc materiei divisibilitas mathematice admitti possit, neutiquam tamen physice. Mathematicus cum quantitatem, seu corpus sejunctum a qualitatibus sensibilibus consideret, data qualibet corporis divisione, ulterius mente dividere potest, unde fit, quod aliqua ponit Mathematicus, quæ Physicus non admittit, ut punctum sine partibus, lineam sine latitudine, & profunditate, superficiem in longum, & latum solum extensam, quæ tamen in re minime esse possunt. E contrario Physicus cum corpus sensibilibus qualitatibus vestitum spectet, illud in infinitum divisibile actu non agnoscit, ad tantam quippe, talemque partium exiguitatem deveniet; ut sub minore corporis substantia physice non remaneat. Ulterea nil in infinitum physice dividi actu potest, nisi re & physice infinitum sit: porro materiam nedum humanorum corporum, sed & totius mundi finitam esse, suosque physice habere limites certissimum est; cum physica divisio non sit, nisi partium physice præexistentium secretio, præsertim cum novi Philosophi non admittant cum Peripateticis generationem, sed solum cumcretionem, vel distractionem in corruptione. Abeant igitur

novi Philosophi cum hac sua in infinitum divisibili materia. Demonstrationes mathematicæ, quas jactitant, probant quidem, si tamen demonstrationes sunt, materiam divisibilem esse in infinitum tantum mathematice, idest extensionem esse divisibilem in infinitum, at non rem extensam, ut alii Philosophi egregie ostendunt eos deridentes, qui in rebus physicis ejusmodi mathematicis demonstrationibus utuntur non animadvertentes fieri transitum a genere ad genus, quod turpis fallacia est ferula castiganda.





CAPUT XVI.

Nec ratio hypotheſis *novos* *Philoſophos juvare poteſt*.

QUorſum ſyſtematis incomprehenſibilitas, atque enormitas (inquiet non-nemo) obtenditur novis Philoſophis, qui rem ita contigiſſe non θετικῶς, ſed ὑποθετικῶς tantum dicunt; ut multa explicentur, quorum intellectus haſtenus latuerat, quem in finem etiam ea, de quibus non ſatis conſtat, an vera ſint, commode conducere poſſunt: non eſt propterea novis Philoſophis, quaſi impoſſibilia venditent exprobrandum, ſummæ imo laudi vertendum; quemadmodum eruditi omnes ſummis efferunt laudibus Copernicum, & Gallilæum, quod ex hypotheſi motus telluris omnia cœlorum phenomena, quæ ad ſua uſque tempora ſub denſa caligine fuerant, feliciter ſub dio poſuerint. *In hypotheſibus Philoſophicis ſumimus quædam*, inquit Wolfius cap. 4. Philoſophiæ rationalis de methodo philoſophica §. 127. *de quibus non conſtat, num ſint, acſi ea eſſent; propterea quod rationem inde reddere licet eorum, quæ fieri obſervamus*. Quot enim fidei noſtræ arcana ex hac hypotheſi deteguntur,

aut saltem explicantur, quæ quia non percipiuntur, incredulorum irrisioni exponuntur.

Sat verborum. Facile est commonstrare, non propterea hypothesim aliquam statim amplectendam esse, quod phenomena explicet, exponatque eleganter; ut laterem lavent, qui ex hoc capite novum systema de hominum origine suadere conantur: habeo quippe a[me sæpe laudatum Vallisnerium, qui, quanti faciendum sit systema aliquod ex eo, quod phenomena explicet, clarissimis argumentis ostendit: impugnans enim systema Leevvenohekianum *de vermiculis spermaticis* eo nomine ab Auctoribus suis propugnatum, quod omnia generationis phenomena explicet, ita ad rem nostram perquam belle philosophatur. lib. 1. diversorum operum p. 1. de Verm. sperm. cap. 13.

Nè punto mi move, il potersi spiegare tutti quanti i fenomeni della generazione, posto il sistema degli Spermatici vermi, imperocchè veggiamo che tutte quante le sette de' Medici, e de' Filosofi, poste le loro dottrine, e i loro principj, o veri, o falsi che sieno, spiegano con un poco d' ingegno tutti gli stessi fenomeni, e pare ad ognuno la sua spiegazione chiarissima, e che gl' interroganti soddisfatti ne restino, o restar debbano, e niun' altra cagione trovar si possa della lor migliore. S' ascoltino quelli che donano tutta la gloria della generazione alla donna, quelli che la danno tutta all' uomo, anco senza le immaginette de' vermi feti, quelli che vogliono l' uno, e l' altra concorrere per metà alla grand' opera, e un gran numero di sistemi, non solo fra se diversi; ma contrarj, si richiamino alla dis-

disamina, tutti quanti apparentemente bene i fenomeni della generazione vanno spiegando, e giurerebbe ognuno di loro che in niun'altro modo possa la natura operare. E' versatile, per dir così, l'umano ingegno, ed in mille parti pieghevole, e in un certo modo, quasi dissi, anche creatore, onde può fingere così belle, così plausibili idee, anzi sovente ne finge di così verisimili che pajono vere. Nella stessa maniera diciamo ora di chi sostiene la sentenza de' vermicelli; può con ingegno spiegare anch' esso quanto veggiamo, e non veggiamo nell'opera della generazione; ma non per questo segue, che infallibilmente sia la vera. Si può al più dire, che sia verisimile: ma questo verisimile, con tutto che molti in lui si quietino, e di lui si rifidino, e si contentino, io lo giudico una larva ingannatrice, un veleno occulto, e dolce, e il maggior nemico, che abbia la verità, perche appunto a lei si assomiglia, e a chi non è ben cauto, par dessa. Da questo più, a me creda, si resta ingannato, che dal falso, conciossiachè questo quasi da ognuno, anche a prima vista, ciò ch'egli è, si raffigura, e distingue; ma non già con tanta felicità quello che porta in fronte la simiglianza del vero, abbagliando facilmente i meno dotti, o i meno accorti. E' vanto de' Poeti il servirsi ne' loro componimenti, e de' Pittori nelle loro Pitture del verisimile, a' quali dal comune acconsentimento è stata donata la libertà, e 'l privilegio di fingere; ma non deve essere de' Filosofi, che parlar debbono colla sola bocca della natura, ch' è tutta inalterabile verità, e che non adopra, per così dire altro linguaggio che quello datogli da Dio. Anche al Rettorico, o all' Oratore si concede nelle di-

difese, far comparire il piccolo per grande, il grande per piccolo, anzi il vero sovente per falso, il falso per vero, per sostentar la sua causa, e persuadere; di manieracbè il grave Catone, *amantissimo del vero, e di una giustizia incorrotta severissimo protettore, avendo udito* Carneade *Ateniese*, ita pro justitia dicentem, ut nemo non assentiretur, eundemque rursus ita, quæ dixerat, impugnantem, ut omnes sententiam mutarent: eicite, inquit, hunc hominem, cui nihil persuadere difficile est. *Ma veggiamo adesso appresso alcuni confuse le leggi del Poeta, del Pittore, dell' Oratore, e del Filosofo, e far questo sovente da Poeta, da Dipintore, e da Oratore, dimentico di parlar sempre con la nuda natura, della sua sola, e bella nudità contenta, ch' è tutta vera, non verisimile, tutta semplice, non d' artifizj composta, cioè da niuna bugia frodata, nè miniata da alcun belletto.*

Non basta dunque che questo nuovo sistema sia verisimile, e che posti tutti i fenomeni della generazione si spieghino, mentre la spiegazione sarà apparente; ma non reale, se si disaminerà nel suo fondo, come fatto abbiamo. Quæ, si Latio vertantur, hunc sensum reddent.

Nec leviter moveor, quod omnia generationis phenomena posito vermiculorum systemate explicari possint: videmus enim omnes & singulas Medicorum, & Philosophorum sectas, doctrinis suis, atque ex iis, quæ semel posuerunt, principiis, sive veris sive falsis, modico mentis acumine eadem phenomena explicare, atque unicuique propriam explicationem clarissimam apparere, sibique videri, quod his omnes in-

interogantes aut revera aquiescant, aut aquiescere debeant, nec alia inveniri possit ratio, quæ propria melior sit. Sive hi audiantur, qui fœminæ omnia tribuunt in generatione, sive qui omnia viro, etiam sine vermi-fœtuum figuris, sive qui utrunque in magno opere suas æque habere partes dicunt, cunctaque systemata, quorum non modicus est numerus, nedum inter se diversa, verum & opposita vocentur ad examen, omnia in speciem atque apparenter generationis phenomena explicant, ut eorum quilibet sanctissime juraret aliter naturam operari neutiquam posse.

Versatilis est humana mens, atque in mille partes flexibilis, & quodammodo, ut ita dicam, creatrix: adeo ut tam speciosas ideas fingere valeat, fingatque imo quandoque ita verisimiles, ut pro veris, & certis accipiantur. Ita in præsentia de eo dicimus, qui opinionem de vermibus defendit, potest & ipse quidquid in generationis opere apparet, abstrusumque est, ingenii sui vi explicare. At non inde sequitur, eam opinionem absdubie veram esse: ad summum verisimilis dici potest. Ast hanc verisimilitudinem, quamvis plurimi sint, qui in ea quiescant, fallacem speciem ipse judico, & occultum quoddam, & suave virus, eo veritati infensius, quo similius, sicut & cuilibet, qui non satis animadvertit: ab hac enim (credite) plusquam ab ipsa falsitate decipiuntur: hæc enim facillime, ipsoque primo aspectu pro ea, quæ revera est ab unoquoque deprehenditur, non itidem illa, quæ veritatem præferens minus doctos, & minus cautos decipit, & fallit.

Poetarum est, & pictorum, de quibus Oratius ait: Pictoribus, atque Poetis quidlibet audendi semper

per fuit æqua poteſtas, *veriſſimilitudinibus uti, non vero philoſophorum, quorum os, & lingua ipſamet natura eſſe debet, quæ pura putaque immobilis veritas eſt, nec alio, ut ita dicam, loquitur idiomate, quam eo, quod a Deo habuit. Rhetoribus etiam, atque Oratoribus permiſſum eſt, ut cum aliquid defendunt, parva augeant, & magna minuant, imo & quandoque verum pro falſo falſumque pro vero, ſi res ſua ita exigat, ſuadeant: adeo ut Cato, ille veritatis tenaciſſimus amator, atque incorruptæ juſtitiæ protector acerrimus, cum audiſſet Corneadem Athenienſem ita pro juſtitia dicentem*, ut nemo non aſſentiretur, eumdemque rurſus ita, quæ dixerat, impugnantem, ut omnes ſententiam mutarent, ejcite, inquit, hunc hominem, cui nihil perſuadere difficile eſt. *Nonne hac ætate videmus leges Pictoris, Poetæ, Rehtoris, & Philoſophi promiſcue confuſas, & Philoſophos non raro Poetæ, Pictoris, & Rhetoris partes agere, non animadvertentes ſe ſemper cum nuda natura loqui, quæ de ſua gaudet nuditate, tota vera, & non veriſimilis, tota ſimplex, & non ficta, aut fucata? Non ſatis igitur eſt, hoc novum ſyſtema veriſimile eſſe, eoque omnia generationis phenomena explicari, nam ejusmodi explicatio ſi funditus diſcutiatur, ut jam factum eſt, ficta tantum, & in ſpeciem erit*. Hactenus Valliſnerius, an vero æque bene pro re ſua, ac pro mea oraverit, ipſe viderit; nam quum ſuum de ovis fæminarum vivipararum ſyſtema ſuadere nititur, totus eſt, ut demonſtret, eo ſyſtemate omnia generationis phenomena clariſſime intelligi, non animadvertens non tam Leevvenohekio, quam ſibi negotium faceſſere.

Quod

Quod pro meo negotio ex Vallisnerio inconcussum est, illud puto, quod non ideo systema aliquod magni faciendum est, quod phenomena explicet. Laudibus efferant, qui velint, Copernicum, & Gallilæum, qui ut orbium cœlestium revolutiones, planetarumque gyros exponerent, tellurem suis e cardinibus, quibus immota hactenus steterat, deturbarunt. Anne tantæ molis erat hos stellarum motus nosse, ut tota mundi machina susque deque inverti debuerit, invitis Scripturis, & contra communem hominum sensum?

Quamvis igitur facile sit ex positione alicuius systematis rationem, & caussam reddere, cur aliquid ita sit, aut ita fiat; nisi aliunde certo constet systema illud verum esse, ratio, & caussa semper erit dubia, imo & falsa, si falsum sit systema. Porro cum istud de omnium hominum in Adamo creatione, aut etiam in Hæva, falsum sit; nemo est, qui non videat, neque etiam ut hypothesim admittendum esse.





CAPUT XVII.

Dogma peccati originalis *obscuratur potius in hoc systemate, quam dilucidetur.*

UT omni ex parte corruat philosophicum commentum, reliquum est, ut ostendamus nil commodi aut utilitatis inde haberi, imo culpæ originalis intellectum, quem plenis, & folicantibus buccis se assecutos fuisse novi Philosophi jactitant, fieri prorsus impossibilem in hoc systemate, nedum facilem non reddi. Du-Vigierius in suo *Traitè de l'Esprit de l'Homme chap.* 14. ita inquit: *Pour bien comprendre comment les hommes ont pû pecher dans Adam, il ne faut que se remettre ici devant les yeux ce que nous venons de dire; sçavoir, que tous les corps des hommes étoient contenus dans Adam, que tous ces corps avoient une relation avec le sien pour en tirer leur substance, qu'ils devoient participer à ses mêmes impressions comme le fœtus participe à celles de là mere, & qu'enfin tous ces corps étoient déja unis à leur ame, parce que tout cela posé on explique tout ce qui regarde le peché ori-*

originel ; car suivant ce sistême, on verra que lorsque Dieu défendit à Adam, de manger du fruit de l'Arbre de science du bien & du mal, les impressions de son cerveau se communiquerent au cerveau de ses enfans, qui eurent par consequent les mêmes idées, puisque les idées sont une suite necessaire des mouvemens des organes, comme nous l'avons dit, ainsi ils reçûrent tous le même commandement, & lors qu'Adam fut tenté de manger du fruit par l'esperance de la grandeur que promettoit l'Ange rebelle (car je ne sçaurois me resoudre à l'accuser de gourmandise) les mêmes impressions se firent sur le cerveau de ses enfans, qui eurent ainsi la même idé, & lors qu'Adam consentit à manger du fruit défendu, ses enfans y consentirent d'autant plus aisément que la mollesse de leurs fibres ne conservant presque point de traces, ils conservoient moins le souvenir du precepte, & que d'ailleurs le cours de leurs espirts animaux qui devoit suivre leur consentement étoit encore favoris_ par le cours des esprits animaux d'Adam, qui coulerent en consentant à manger ce fruit.

Il est bien vrai que les enfans d'Adam n'agirent pas dans cette occasion, à cause de la foiblesse de leurs organes, avec une liberté aussi parfaite qu'Adam luimême, & pour nous representer en quelque sorte de qu'elle maniere ils pûrent dans leur état consentir à la désobéissance, nous comparerons leur peché à ceux qu'on commet journellement sans une liberté parfaite, & nous dirons qu'ils offensirent alors le Seigneur en quelque sorte comme une personne qui s'éveille en sursaut, que leur action fut a peu prés pareille aux mouvemens que les Casuistes

appellent premierement seconds, & qu' enfin ils pecherent en quelque maniere comme les enfans qui sont à la nourice, qui pechent veritablement comme Saint Augustin le dit de lui même.

Hoc est: ut quis percipiat, quo pacto homines in Adamo peccaverint, satis est, si animadvertat omnium hominum corpora Adamo inclusa fuisse, quæ respicerent Adami corpus, ut id a quo & substantiam receptura fiat, & impressiones: quemadmodum fætus substantiam matris, ejusque impressiones participat: denique ejusmodi corpora suis unita fuisse animabus; hoc enim posito, fiunt statim manifesta quæcumque spectant peccatum originale: apparet namque præceptum illud, quo Deus vetuit Adamo fructum arboris scientiæ boni, & mali, primo impressum fuisse Adami cerebro, deinde filiorum, easdemque propterea habuisse ideas, cum hæ ex organorum motibus naturaliter consequantur, atque ita eamdem Dei legem accepisse omnes. Porro cum Adamus fallaci divinitatis spe Cacodæmonis fraude captus tentaretur, ut fructum comederet, ejusdem tentationis impressio ex Adami cerebro ad filiorum cerebrum transiit, unde illo tentationi succumbente succubuerunt & ipsi, eoque facilius, quo molliores, & ad conservandam memoriam præcepti ineptiores cerebri fibras habuerunt, opem præsertim ferentibus spiritibus animalibus Adami ad fructus esum conducentibus.

Verum ob organorum mollitudinem minus ipsi, quam Adamus peccarunt; fuitque eorum peccatum ex his motibus, quos Theologi secundo primos vocant; quapropter licet omnes de repen-

te

te cum Adamo filii iræ evaserint, non eodem tamen modo, nec eamdem Dei indignationem meruerunt: Adami crimen utpote plena perfectaque libertate patratum mortale fuerit, æternisque pænis dignum: peccatum vero filiorum utpote minore libertate ob organorum teneritudinem commissum minus grave fuit, dignumque solum, quod Divina gloria privaretur. Thrasonicam hanc Du-Vigierii fidentiam mirantur omnes, qui cum Theologorum scholas ne e limine quidem salutarit, ut ipsemet candide ingenueque fatetur: *je ne craint pas què persone me condamne, si jè nè rends pas bien sensible cè Mistere, moy qui n'ay iamais etùdie en Theologie, & qui fais un metier tout' à fait opposè*; nihilo tamen secius id explicare tentarit, quo, teste S. Augustino, *nihil est ad prædicandum certius, nihil ad intelligendum secretius.*

At rident Theologi videntes irritos fieri Du-Vigierii conatus, & mysterium illud, quod ita reserare putat; ut omnibus pateat, magis claudi magisque obserari.

Et sane, si ea, quæ hujus novi systematis assertores, & Patroni dicunt, paullulum expendamus, extemplo apparet fieri omnino impossibilem hujus mysterii intellectum.

Leybnitzius in p. parte *Theodiceæ* num. 91. aperte ait: animas in statu præexistentiæ rationis omnino expertes esse, & tantum vitam sensitivam, atque animalem vivere, fieri vero rationis participes eo duntaxat tempore, quo generantur homines, peculiari quadam nimirum Dei operatione, quam ipse *transcreationem* appellat.

Ma-

Mais il me paroit ancore convenable pour plusieurs raisons qu'elles n'existoient alors qu'en ames sensitives ou animales, douées de perception, & de sentiment, & destituées de raison & qu'elles sont demeurées dans cet etat jusqu' au tems de la generation de l'homme à qui elles devoient appartenir; majs qu' alors elles ont reçû la raison; soit qu' il y ait un mojen naturel d'elever une ame sensitive au degré de ame raisonnable (ce, que j' ai de la peine à concevoir) soit que Dieu ait donné la raison a cette ame par une operation particuliere où (si vous voulez) par une espece de transcreation.

Wolfius vero eas esse in statu idearum confusarum: *dum anima*, inquit sect. 4. Psychol. rat. de Animæ ortu §. 70. *in corpusculo organico praexistente quod fœtus rudimenta continet, si ita videtur, in animalculo spermatico praexistit, in statu perceptionum confusarum est, idest etsi ideas ab inicio habet, eas nonnisi obscuras habet, & si quid claritatis immixtum perceptionibus obscuris est, adeo exiguum illud est; ut in numerum clararum idearum minime referri mereatur, ubi nec sibi conscia est, caret operationibus intellectus & rationis, præteritorumque memoria: hæc enim omnia nonnisi per ideas claras peragi possunt.*

Dicat nunc Du-Vigierius, qui fieri potuit, ut homines peccaverint, qui operationibus intellectus, & voluntatis, ut ait Volfius, carebant, quive, ut Leybnitzius autumat, erant rationis expertes, & vitam tantum sensitivam, animalemque vivebant; quomodo porro ideæ Adami excurrere potuerunt ad filios usque? atenim vel hæc idearum derivatio tanta, talisque fuit, ut ej filii

resi-

resistere non valuerint, & tunc quomodo peccarunt in eo, quod vitare non potuerunt, vel libera resistendi facultas in eis remansit, & tunc unde habent, quod non restiterint? Quod corpus Patris quid valeat in corpora filiorum, dum ea in se claudit, utcumque intelligi potest ex genitivis illis notis, quas vehemens matris appetitus filiorum corporibus imprimit. Verum quod anima in animam ita operetur; ut eam ad agendum impellat, saniores Philosophi una cum Theologis, qui potestatem hanc agendi in voluntates hominum soli Deo voluntatis auctori adscribunt, falsum omnino putant, quapropter ad exemplum Adami allicientis, vel præcipientis, aut minantis peccarunt homines, nec aliter peccatum primi parentis in hac hypothesi filios, nepotesque affecit, quam imitatione, quod purus, putusque Pelagianismus est.

Ulterea homines Adamo inclusi in quo naturæ statu erant? innocentis, puræ, aut lapsæ? si innocentis, non video, quo pacto eorum peccatum leve fuerit, & venia dignum. D. Thomas 1. 2. q. 89. a. 3. communiter cum Patribus, & melioris notæ Theologis aperte negat, hominem in statu innocentiæ potuisse venialiter peccare, quia, inquit *hoc* [peccare venialiter) *contingit propter quemdam defectum ordinis ex eo, quod inferius non continetur firmiter sub superiori .... in statu autem innocentiæ erat infallibilis ordinis firmitas; ut semper inferius contineretur sub supperiori, quandiu summum hominis contineretur sub Deo, & ideo oportebat, quod inordinatio in homine non esset, nisi inciperet ab hoc, quod summum hominis non subderetur Deo,*

quod

quod sit per peccatum mortale. Si in statu naturæ puræ: quomodo adversari sibi Theologos cunctos non vident, qui non parum laborant; ut contra Jansenium ejusmodi statum naturæ puræ saltem ceu possibilem probent? Homo namque non minus ac Angelus in gratia a Deo creatus est; unde Augustinus ait, quod *simul erat in eis condens naturam*, *& largiens gratiam*. Si denique in statu naturæ lapsæ fuerunt, dicant quæso per quodnam peccatum a gratia exciderunt? non puto novos Philosophos dicturos, homines peccasse antequam suis includerentur corporibus, ut senserat Origenes.

At demus hæc omnia, nempe Adami ideas hominum cerebro, ut cum ipso peccante & ipsi peccarent, fuisse impressas: dicant sodes ubi est peccatum originale? Peccatum quod propria voluntate patratur, sive morte, sive venia dignum illud sit, non est nisi peccatum actuale juxta communem omnium sensum; peccatum namque originale illud intelligitur ab omnibus, quod a Patre in filios, nepotesque continua generationum serie transfunditur.

Demus etiam peccatum istud propria licet voluntate patratum posse utcumque originale appellari. Quid inde? nonne in hoc systemate eadem facilitate, qua explicatur, de medio tollitur?

Si homines peccarunt, quia peccanti Adamo ob idearum communicationem assensum suum præbuerunt; quidni etiam Adamo dolenti, & pænitenti ob eamdem idearum communicationem, & participationem assensum suum præbuerunt?

runt, & quemadmodum ille gratiam, & misericordiam coram Deo, & ipsi invenerint: nunquid hæc idearum communicatio statim post peccatum ablata est, ut qui minus peccarunt gravius punirentur; quia impotentes effecti resipiscere non potuerunt? en quam eleganter peccati originalis mysterium in novo hoc systemate explicatur, seu totius densioribus nebulis obtegitur, atque obscuratur.

Dicam ego, quid commodi, atque utilitatis ex hoc systemate erui possit: habent fœminæ, unde impune, & absque turpitudinis, aut vitii labe stupra, incestus, aut adulteria committere possint, & licet Phryne, aut Laide salaciores sint, Penelope modestiores, ac castiores audire. Enim vero si ad plures menses & annos vermes spermatici in utero mulieris vivere possunt, ut in hoc systemate probabilissimum est; mulier, cuius vir diu absens fuerit, aliis viris commisceri poterit, atque ex illis toto tempore, quo vir abest, filios suscipere: quin vir, cum venerit, de violata fide possit conqueri: præsto enim, & in promptu erit responsio, suo in utero spermaticos vermes a marito relictos fuisse, qui postquam diu latitaverint, nacta occasione maturum ovum ingressi juxta geneseos leges se se expedierint, extricaverint, atque exsolverint in hominem: narrat Bertolinus *in epistola medic.* nobilem quandam mulierem Parisiensem, cuius maritus quatuor integros annos domo absens fuerat, peperisse, quæ de adulterio accusata sanctissime juravit cum nullo viro commixtam fuisse, sed tantum in somnio cum absente viro fuisse congressam. Super qua re con-

fulti Medici Montifpefulani, inter quos Hieronymus *de Revefin*, & Eleonorus *de Belleval*, Senatui Gratianopolitano *refponderunt, id poffibile effe:* eo in fomnio fortaffis contigit, ut vermis ovum ingrederetur. Ita quoque in ovorum fyftemate poterit puella quælibet Amafiis fuis indulgere, quin infamiam amiffæ Virginitatis incurrat, etiamfi centies pariat. Dn. namque Vereheyn experientia convictus fieri poffe affirmat, lut ova fuis ex ovariis folo coeundi defiderio fine maris ope feparentur, & in Tubas Fallopianas, moxque in uterum defcendant: ita namque deprehenderat in juvenca, quam taurus necdum afcenderat; unde perfuafum illi eft, non opus effe, ut femen maris fœminæ uterum ingrediatur, nec femper revera ingredi. Quid quæfo amplius requiritur, ut ex Virgine, cuius ex ovariis ovum per Tubas in uterum lapfum fit, nafcatur homo, fi femen viri neceffarium non eft, ut modo laudatus *Verbeyn* docet: nonne ita impura Puella ftuprum fuum commode tueri poterit; & licet millies vitiata, & pluries mater fit, tanquam virgo caftiffima agnofci? Hæc funt, quæ ex novo fyftemate confequuntur, quæ fi ultra Garamantas, & Indos plumbeis, ftupeifque hominibus dicerentur, vix inveniretur, qui aufcultare dignaretur. Faceffat ergo novum fyftema, quod omni ex parte futile eft, ac ruvinofum, feu fabulofum, & commentitium.

ANA-



ANACEPHALEOSIS.

HÆc est ea opinio, quam nonnulli huius tempestatis Philosophi adeo jactitant, extollantque; ut toti retro antiquitati pene insultent, quod nemo eorum hactenus fuerit, qui sui originem detexerit: quasi thesaurum hunc e reconditioribus naturæ fodinis educere, veritatemque hanc e Democriti puteo extrahere eis dumtaxat reservatum fuerit. E contrario Theologus eam indignam prorsus judicat, quæ Christianis, Catholicisque invehatur scholis. Jure & merito. Quid enim, inquit Theologus, a Catholicis scholis arcendum magis, quam id, quod cum Christiana fide stare nec potest, nec debet, ut est ejusmodi opinio, quæ cunctos homines tum quoad corpus, tum quoad Animam una cum elementis in mundi exordiis creatos asserit? Apertissima sunt, quæ in Scripturis de formatione unius tantum viri, ejusque conjugis narrantur a Mose, cæterisque Prophætis, qui verbum Dei locuti sunt. Res plane Philosopho Christiano indigna, qui nil sanctius antiquiusque habere debet, quam placita sua divinis Scripturis accomodare, nec in oppositam sententiam ire.

Historia Synesii Ptolemaidis Episcopi, & Ruffini Aquilejensis Præsbiteri, qua fertur inter

Christianos connumerandos non esse, qui Animas post corpora materno in utero formata a Deo factas non agnoscerent, meridie clarius significat, Christi fideles a majoribus suis accepisse, Animas quotidie a Deo fieri. Adeo firmam traditionem opus erat adducere, ut quam turpiter a veritate aberrent novi Philosophi, ostenderemus.

Ecclesia Catholica toto orbe diffusa, qua fide credit Beatam Virginem officio usam fuisse materno, sexusque sui naturam in conceptu, & partu Christi executam fuisse, ut scilicet præter concipiendi, gestandi, & pariendi ministerium, carnem quoque suam, ex qua fieret Christi corpus, Spiritui Sancto tribuerit; alioqui vera mater non fuisset: & qua fide credit Christi Humanitatem, Corpus scilicet, & Animam, seu totum id quo Christus Homo erat, non cum cæteris elementis in mundi exordiis creatam fuisse, sed post quatuor annorum millia, credit quoque Deum statim ab orbe condito a novis producendis rebus non cessasse. Quid igitur absurdius, quam olim omnia facta fuisse, nihilque modo fieri, cum hoc gemino huic fidei nostræ capiti e regione opponatur?

Concilium V. Lateranense insulsa Pomponatii, aliorumque illius ætatis Philosophorum (si tamen Philosophorum nomine appellari mereantur, qui turpiter errant) opinamenta, seu potius deliramenta damnando sanxit & definivit, Animam humanam quotidie multiplicari, & ad usque mundi finem fore multiplicandam. Romani Pontifices, Leo primus, Gelasius, & Gregorius itidem primus santitate, & sapientia vere Maximi exerto veluti digito locum designant, ubi homines

quo-

quotidie fiant: damnantque propterea non eos solum, qui cum Origenianis, & Priscillianistis Animas extra corpora aliquando extitisse effutiunt, verum & eos, qui materna inter viscera corpora primum animari non credunt. Patres omnes idem prædicant, quibus adeo persuasum semper fuit, novos in diem creari homines; ut in controversia de Animarum origine id loco principii habuerint, & tantum utrum ex traduce, an ex creatione propagarentur Animæ, inquirerent præ cæteris Sanctus Augustinus. Quid clarius, quid robustius pro adserenda quotidiana, & diurna hominum creatione his Concilii Oecumenici, Summorum Pontificum, Patrum, & Augustini testimoniis? His omnibus opus erat, ut nulla Philosophis nostris aliter opinantibus fides adhiberetur.

Theologi, & cum Theologis Juris Pontificii periti, qui, quoties de abortu dubium emergit, num homicidium fiat, sine mora animadvertunt primo, num fætus animatus sit, aut inanimis (inquisitio plane ridicula, si fætus ab orbe condito suam habuit Animam) non aliud docent, quam id, quod ex Scripturis, Patrum traditone, Conciliorum decretis, & Romanorum Pontificum definitionibus hauserunt: ut turpe sit summæque impudentiæ omni animadversione dignissimæ tot tantisque Viris obniti.

Ad hæc: si Philosophi omnes tum veteres, tum recentiones, hique etiam consulantur, qui corpora omnia principio rerum jam creata fuisse autumant, unanimi voce facentur, novas quotidie Animas in generatione suis infundi corporibus.

utero homo, & Anima constans & corpore, & egrediatur vivus ex utero plenus humana substantia.

GENNADIUS Ecclesiastic. dogmat. cap. 14.

FINIS.



INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CA-

CAPUT. V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT XIII.

CAPUT XIV.

CAPUT XV.

CAPUT XVI.

CAPUT XVII.

FINIS.

Facultas Ordinis

NOS F. THOMAS RIPOLL

Sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ord. Præd. humilis Mag. Generalis, & Servus.

HArum ferie, noftrique authoritate Officii licentiam concedimus Rev. P. Lectori F. Thomæ Gundifalvo Carattini Provinciæ noftræ utriufque Lombardiæ imprimendi opufculum ab ipfo compofitum cui titulus, *Philofophica Chriftiani Wolfii Mathematum ac Philofophiæ in Academia Marburgenfi Profefforis P. aliorumque recentiorum Du-Vigierii præfertim, & Leybnitzii de origine, & præexiftentia animarum Theologice Difcuffa atque Excuffa Sententia*, dummodo prius fit revifum & approbatum a R. R. P. P. M. Fr. Carolo Hyacintho Cagnoli, & L. Prim. Hieronymo Taffelli præfatæ Provinciæ & fervatis aliis de jure fervandis. In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu noftro Sanctæ Mariæ fuper Minervam die 5. Martii 1738.

Loc. ✠ *Sig.* (Fr. Thomas Ripoll
(Mag. Ordinis.

Reg. fol. 119.

F. Dominicus Ponfi
Mag. Exprovincialis, & Socius.

AP

APPROBATIO

JUbente Reverendissimo totius Ordinis nostri Generali Magistro F. Thoma Ripoll summa animi voluptate perlegimus, ac diligenti examine ponderavimus Dissertationem ab Adm. Rev. P. F. Thoma Gundisalvo Carattini Ordinis Prædicatorum Scripturæ Sacræ Lectore editam, studioseque elaboratam; cui titulus: *Philosophica Christiani Wolfii Mathematum ac Philosophiæ in Academia Marburgensi Professoris P. aliorumque recentiorum Du Vigierii præsertim, & Leybnitzii de origine, & præexistentia animarum Theologice Discussa atque Excussa Sententia*, atque in ea nihil inter legendum novimus, quod fidei adversetur, & a probis moribus abhorreat; sed omnia ex purissimis Scripturæ Sacræ, Sanctorum Patrum, Conciliorum fontibus, potissimum ex D. Augustino Ecclesiæ lumine, & Angelico Præceptore omni ex parte ferme hausta, ac desumta invenimus: Quo circa in rem Ecclesiæ esse censemus, ut hæc Dissertatio in uberiorem Sacræ Theologiæ defensionem, edatur.

Datum Veronæ in Conventu S. Anastasiæ die quarta Augusti 1738.

Fr. Carolus Hyacinthus Cagnoli Ord. Præd. S. T. Mag.

F. Hieronymus Antonius Tafelli ejusd. Ord. & in Conventu S. Anastasiæ S. Th. Lect. Primarius

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approbazione del P. *Lauro Maria Piccinelli Inquisitor di Verona* nel Libro intitolato *Philosophica Christiani Wolfii Mathematum, ac Philosophiæ in Academia Marburgensi Professoris P. aliorumque recentiorum Du-Vigierii præsertim, & Leibnitzii de origine, & præexistentia animarum Theologice Discussa atque Excussa sententia*; non v'esser cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e particolarmente per Attestato del Segretario Nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo Licenza a *Dominico Pajella Stampator in Verona*, che possi esser stampato, osservando gli ordini di Stampa, e presentando le solite Coppie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 4. Ottobre 1738.

(*Gio: Francesco Morosini Cav. Rif.*
(*Z. Piero Pasqualigo Rif.*
(*Daniel Bragadin Cav. Pror. Rif.*

Agostino Gadaldini Segr.

Errata. Corrige.

Pag.	lin.	Errata	Corrige
5	12	axequi	exequi
6	26	ſanctiſiſſime	ſanctiſſime
41	7	cum Maternitate	cum Maria
47	10	eodemmere	eodemmet
54	33	admiſiſſet	admiſiſſe
55	23	n n	non
64	19	ſiluiſſe	latuiſſe
85	15	diurna	jugis
92	10	*Maſilius*	*Marſilius*
95	12	oſtei	oſtrei
101	15	&	ex
105	9	qui mos	quem morem
	27	giaicæa	gynicæa
113	20	quibus hoſtis	quibus hoſtiis.
135	29	*præferens*	*præ ſe ferens*
140	12	ſuiſſe	fuiſſe
145	8	totius	potius

Cætera, quæ orthographiæ ſunt Tu. B. L. condonabis


SEMPER
ADEM
GG
F



